WILHELMI CAVE

Canonici Windesorienſis

Epiſtola Apologetica

Adverſus iniquas

JOANNIS CLERICI Criminationes

IN

Epiſtolis *Criticis* & *Eccleſiaſticis* nuper Editis.

QUA,

Argumenta ejus pro *Euſebij* ARIANISMO ad examen revocantur, calumniæ diluuntur, multa de uſu & auctoritate Sanctorum Patrum, de quibuſdam *Clementis Alexandrini* dogmatibus, de Concilio NICÆNO I. & II. aliiſque nonnullis diſſeruntur.

PHILIP. II. 3.

Μηδὲν κατὰ ἐρίθειαν, μηδὲ κενοδοξίαν, ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν.

LONDINI,

Impenſis *Sam. Smith* & *Benj. Walford* ad inſignia Principis in Cœmiterio D. Pauli. MDCC.

Th.
8°. U. 120.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

Elenchus Rerum,

Quæ hâc

EPISTOLA APOLOGETICA

Continentur.

Quam alienus ab hujuſmodi Controverſiis Cavij *animus.* p. 1. & ſeqq.

Primus in illum impetus à Clerico *factus.* 4

Graviſſima Crimina Cavio *temerè objecta, cauſâ nondum ſatis cognitâ.* 7

Accuſatoris hâc in parte intemperantia. 8

Maxima Diſſertationis Cavianæ *pars à* Clerico *intacta.* 10

Cavius *in reſpondendo brevior, & quare.* 11

Loca ex Clerici *Vitis in* Diſſertatione *citata, nullo ipſi infamiam creandi animo.* 14

Eſſe in Patrum ſcriptis obſcuritates & repugnantiæ

pugnantias aliquot, à nemine negatum. ibid. & p. 15
Unde factum, ut S. Patres tanto contemptu hodiè excipiantur? 16
Dallæus *magni semper meritò habitus.* 18
Quænam reverentia & auctoritas S. Patribus à Scriptoribus Reformatis tributa? 19
Vincentij Lirinensis *disertum hac de re testimonium.* 20, 21
Consensus Veterum optima Hæreses refutandi ratio. 22
Theodosij *Imp. hàc in re Concilium.* ibid.
Primus è recentioribus S. Patribus bellum indixit Socinus. 23
De Conciliis celebris Nazianzeni *querela, unde.* 25
Ludicrum Clerici *de Veterum Synodis judicium.* 25, 26
Iniqua ejus erga Principes hac occasione Censura, obitèr notata. ib. & p. 27
Ejus querela de hodiernis Theologis examinata. 28. seqq.
Quo contemptu eos tractat, tum in genere, tum allatis aliquot exemplis ostensum. 31 & seqq.
Dissimulationis vitium Cavio *centies objectum probè expensum.* 34. & seqq.
Solus id vidit Joan. Clericus. 35
Cavij *in scribendis S. Patrum Vitis mens & Concilium.* 36

Ciceronis

Ciceronis *celebris* de Hiſtoria *Lex à* Cavio *neutiquam violata.* p. 38. & ſeqq.
Clerici *exemplum in Scribendis S. Patrum vitis* Cavio *non imitandum.* 42
Photij *de* Clementis Alex. *Hypotypoſibus judicium à* Clerico *reprehenſum.* 44
Rufini *in hâc cauſâ teſtimonium non rejiciendum.* 45
Dogmata in Hypotypoſibus *an ut hæretica damnet* Clericus? ib. & p. 46
Photij elogium. 47
In Patrum Scriptis Philoſophica à Fidei Articulis diſtinguenda. 48
Diſſimulationis Crimen in Clericum *retortum.* 49
Clementis *locus de ἀναθέσει Chriſti*, &c. *expenſus, explicatus, vindicatus.* 51, & ſeqq.
Chriſti Corpus neceſſariis vitæ ſubſidiis non indiguiſſe, quo ſenſu? 52
Clementem *cum* Docetis *paria non ſenſiſſe.* 54
Cavij *circa* Euſebium *Diſſimulatio nulla.* 62
Illum ab omni labe & errore purgare, Cavio *nunquam propoſitum.* ib. & p. 63
In Euſebij *gratiam à* Cavio *producta, à* Clerico *penitùs prætermiſſa.* 63
Fidei Euſebianæ *formula Concilio* Nic. I. *oblata, in Eccleſia Cæſarienſi uſurpata.* 64

Ut Orthodoxa à Synodo recepta. p.65
Eadem, nisi sensu doloso, non dixisse Arianos. ib. & p.66
Eusebij *voces in Epist.* ad Cæsarienses, *ad Arianorum sensum à* Clerico *perperam inflexæ.* 67
Ariani *Filium Verum Deum fassi, sed fraudulenter: aliter omninò* Eusebius. 68
Quo sensu affirmabant Ariani, *Christum filium esse Unigenitum? Catholicus hâc in parte* Eusebius. 69
Filium ex Deo *esse, quo sensu dicebant* Ariani? ib.
Falsò Catholicos criminabantur Ariani, quòd ὁμούσιον *asserentes, Filium ex substantia Patris, tanquam partem divisione quadam profluxisse docerent.* 70,71
Eusebius *idcircò hanc quæstionem accuratiùs in Synodo* Nic. *excussit.* 72
Quo sensu Eusebius τὸ ὁμούσιον *in Synodo agnovit.* 73,74
Eusebium, *Filium in numero Creaturarum non Censuisse, contra* Clericum *probatum.* 75. & seqq.
Filium esse Patris imaginem, quo sensu docebant Catholici, quo Ariani? Eusebius *cum Catholicis.* 79
Filium divinam naturam à Patre ab æterno accepisse asserebant Catholici, & dissertissimè cum his Eusebius. *Mira* Arianorum *hâc in parte fraus.* 80. & seqq.

Eusebius

Eusebius *Filium* τὸν ὁμοούσιον, *neque ex alia hypostasi aut substantia, quam ex patre esse, addito etiam adversus negantes Anathemate, disertè agnovit.* p. 83
Id non vafrè & versutè ab eo factum. 84
Concilij Nicæni Patres in Eusebij *declaratione acquievisse.* 85
Epistola Eusebij *ad* Cæsarienses *non eo fine scripta, ut ostenderet se Arianorum sensui subscripsisse.* 86,87
Dubiæ aut periculosæ Eusebij *loquationes postea in libro* Apologetico *explicatæ.* 88
Lacinia Epistolæ Eusebianæ *ap. Theodoritum assumentum esse.* 89
Eusebij *Epistola inter Opera* Athanasij *non reponenda.* 90
Novissimæ Editionis Curatorum mala hâc in parte fides. 90,91
Concilij Nic. II. *Patres tanquam testes adversus* Eusebium *non temerè admittendi.* 93
Eusebio *infensi, non tam quòd* Arianis *faveret, quàm quòd imagines earumque cultum oppugnaverat. Id ex ipsis Actis ostensum.* 94
Loca Eusebij *à* Nicænis *citata, decurtata & detrancata, ut vera ejus mens haud facile erui possit.* 95
Arianos consutis dolis Eusebio *aliisque, imposuisse.* 96
Quicquid antea, mentem suam in Synodo Nic. I. *disertiùs aperuit* Eusebius. 97

Elenchus Rerum.

Dolosè id non factum. ib.& p.98,99
De contemptu Concilij Nic.II. Cavio *objecto.* 100
Synodi Francofordienſis *de eo judicium.* 101
Teſtimonium Monachi Benedict. *quo ſe tuetur* Clericus, *parvi hàc in parte ponderis.* 102
Cavius *non dixit* Arianum, *vel* Photinianum *eſſe* Clericum. 103,104
Nec Photinianos *ab* Arianis *non diſſentire.* 105
Socinianiſmi *crimen diſertè ab aliis ei impactum.* ibid.
Ratio, quâ ſe ab hoc crimine purgare poſſit. 106,107
Meibomij *hallucinatio, citantis* Bibliothecæ Univerſalis *Tom. X. pro XI. ad* Cavium *non pertinet.* 108
Witſij *de* Cavij *Socinianiſmo judicium falſum & temerarium.* 109
Exteros contemnere Cavium, *ficta & puerilis querela.* 110
Mirè deprædicata Clerici *erga* Eccleſiam Anglicanam *obſervantia, qualis.* 111,112
Votum pro pace Eccleſiæ. 114
Ad D. Clericum *paræneſis.* 115
Peroratio ad Reverendiſſimos Præſules. 116. & ſeqq.

ERRATA.

PAg. 52. lin. 4. l. *ſubſidiis.* p. 53. l. 16. l. *παράνυμον.* p. 58. l. 6. l. *immaculatæ.* p. 59. l. 3. poſt *procedit,* adde *ex.* ib. l. 7. pro *in* l. *id.* p. 61. l. 7. l. *aſſeclæ.* ib. l. 17. l. *Clemente.* p. 109. l. 18. l. *alfuerim.*

MAXIME

MAXIME REVERENDIS

IN

CHRISTO PATRIBUS

ac Dominis,

D. THOMÆ, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, &c.

D. WILHELMO, *Vigornienſi* Epiſcopo.

D. GILBERTO, Epiſcopo *Sariſburienſi.*

Illuſtriſſime Præſul,
Admodum Reverendi Antiſtites.

NON auſus eſſem ego, tantillus homo, in tam levi præſertim, nulliuſque penè momenti cauſâ, Paternitates Veſtras interpellare, niſi JOANNES CLERICUS ad Vos prior provocaſſet,

Veſtraque illuſtria nomina, Epiſtolis aliquot à ſe nupèr editis præfixiſſet. Quo concilio id fecerit, num fortè ut ſub tantorum Nominum præſidio, famam & exiſtimationem ſuam ſpecioſiùs apud exteros ſuſtineret ; an ut impetratâ Gratiâ veſtrâ, viam ſibi ad Eccleſiæ hujus dignitates faciliùs muniret ; an denique ut mihi apud Vos, qui me favore aliquo dignari ſoletis, odium invidiamque ſolertiùs conflaret, aliis, qui hominis ingenium norint, judicandum relinquo. Utcunque ſit, mihi perinde eſt ; cum certò ſciam de omni hac lite rectè Vos, juſtéque eſſe pronunciaturos ; quòd ſi probata Vobis fuerit cauſæ meæ æquitas, nullus dubito, quin læſæ innocentiæ patrocinium in Vos ſuſcipietis. Non is ego ſum, qui contentionis funem cum quopiam, multò minùs cum D. *Clerico*, viro in Eriſticis exercitato, ducere velim. Nihil à moribus, nihil à ſtudiis meis magis unquam fuit alienum. Odi ſemper rixoſam literaturam, quæ ingenium amat diſputandi avidum, vanas & inutiles altercationes

cationes movet, fovetque, vexatis quæſtiunculis, Criticiſque logomachiis unicè delectatur. Fruatur, per me licet, ſorte ſuâ, moleſtâ utique, nec invidendâ, quiſquis aſſiduis jurgiis, litibus, nè dicam convitiis & contumeliis, & agitat ipſe, & agitatur, *cujuſque manus* Iſmaelis adinſtar, *contra omnes eſt*, *omniumque manus contrà illum*. Sub placidâ Antiquitatis umbrâ hucuſque delitui, à contentioſi hujus Theologorum ſeculi clamoribus & controverſiis longè remotus: ut vero jam ad rupes & ſcopulos, in loca prærupta & confragoſa pertrahar, piget tædetque. Quin adeò alieno ſum ab his concertationibus animo, ut ſi vel tota convitiorum plauſtra in me conjeciſſet Adverſarius, parum ad reſpondendum permoviſſent, niſi meâ maxime intereſſe judicarem, à tam atroci atque inſigni Diſſimulationis crimine memet vindicare. Quoniam igitur res eò jam devenit, ut in arenam mihi deſcendendum ſit, non poſſum mihimet non gratulari, quod pro Veſtro tribunali, Reveren-

diſſimi Patres, cauſam dicturus ſum, Voſque mihi Judices contigiſſe, prudentes, candidos, æquos rerum æſtimatores, & Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimos.

Duo præ aliis ſunt, quæ mihi objicit Accuſator meus. Primò, quod citatis aliquot locis ex Vitis ab eo Gallicè conſcriptis, infamiam ipſi creare conatus ſim. Secundò, quod in concinnandis Sanctorum Patrum vitis, celebratis ubique eorum virtutibus, nævos ac labes ipſe diſſimulaverim. Ad hæc duo capita, ni fallor, quæcunque gravioris ſint momenti, haud incommodè revocari poſſunt. Antequam verò ad hæc aliaque excutienda veniam, paucula quædam in anteceſſum præmittenda duxi.

Primò, *Joannem Clericum* pro egregiâ, quâ pollet, cenſendi prurigine, me primum adortum eſſe; nihilque tale meritum, nihil tale cogitantem duriori, quam par erat, cenſurâ notaſſe. Etenim non contentus innuere, me inſano quodam *Euſebium* vindicandi

candi ſtudio abreptum fuiſſe, traducit me veluti immodicum Veterum Encomiaſten, qui vitas eorum Panegyricè ſcripſerim, ‘ quique exiſtimaverim, ‘ caritatem Chriſtianam id à me po- ‘ ſtulâſſe ; quique vice illius caritatis, ‘ quæ ab omnibus Hiſtoricis poſtulat, ‘ ut vera in lucem proferant, prætenſâ quadam caritate uſus ſum, quæ ‘ ad illos ſolummodo Patres ſe extendit, qui Orthodoxi habentur. Undè factum ſit, ut nonniſi Panegyricos ſermones de Veteribus quodammodo habeamus, in quibus vitia eorum ſemper celantur, quando virtutis cujuſpiam larvâ tegi non potuere. Hæc de me *Joannes Clericus*, nondùm à me vel levitèr laceſſitus. Ut verò hoc crimine ſe jam expediret, præ ſe fert (*a*), monita hæc tantum fuiſſe generalia de fide Hiſtoricorum, nec ad me ſigillatìm pertinuiſſe, ſed ad alios multos, qui Laudes vetuſtatis Eccleſiaſticæ, potius quam Hiſtorias ſcripſerunt. Verùm hoc cui unquam per-

(*a*) Ep. I. p. 6, 8.

ſuadebit? Cedo quemvis arbitrum; paragraphum iſtum à capite ad calcem legat & perlegat Eruditus Lector, & videat, num ad me proximè & immediatè non ſit referendus. Nec Viri graviſſimi, quotquot de hac re conſuluerim, ſe aliter intelligere affirmârunt. Et planè non aliam ipſi tunc fuiſſe mentem, integra harum Epiſtolarum, *re nunc accuratiùs expenſâ*, compoſitio, ſole clarius demonſtrat. Imò miratur (*a*) jam, me larvâ tectum diſſimulationem exprobranti auſum eſſe reſpondere. Ipſe quidem notat (*b*) alibi, me poſt editam hanc cenſuram diu tacuiſſe. Et rectè quidem; linguæ quippe Gallicæ ignarus, iſtum *Bibliothecæ Univerſalis* Tomum, quo continetur, non evolveram; quin nec de eâ vel fando inaudiveram, antequam Vita illa *Euſebiana* Anglico Sermone in lucem prodiit. Interim mirari querique (*c*) deſinet accuſator meus, & *de Caritate Caveanâ* adeò ve-

(*a*) Ep. XI. p. 77. (*b*) Epiſt. de *Hammond* p. 323. Ed. Lat. (*c*) Ep. XI. p. 67.

hementèr

hementèr exclamare, quòd Dissertationem meam non contrà *Athanasium*, *Eustathium*, *Hieronymum*, &c. *Baronium*, *Petavium*, &c. sed contra *Joannem Clericum* inscripserim. Nulla enim mihi erat cum summis illis viris lis, nulla controversia, sed cum *Joanne Clerico*, qui peculiarem mihi litem intentâsset.

Secundò, peccare Virum Eruditum in Christianæ Caritatis legem, dum *fraudem*, *fucum*, *dissimulationem*, *timiditatem*, *oscitantiam*, *invidiam*, *acerbitatem*, *confidentiam*, *iniquitatem*, & si qua his similia mihi exprobrat, totque horrendas nomini meo inurit maculas, priusquàm facti institutique mei rationes probè cognitas perspectasque habuisset. Temerè alicujus famam labefactare, vel ipso *Clerico* judice, iniquum est. Cur igitur ferociter adeo in me irruit, invehitur, & debacchatur, idque non in angulo, sed in trivio, in foro, & voce publicâ; & quasi convocato totius orbis Eruditi coetu, me, quem *Senatus literarij*

rarij Præſidem per ludibrium appellat *(a)*, in judicium vocat, diem dicit, graviſſimorumque criminum accuſat, arguit, & cauſâ nondum ſatis cognitâ, poſt rogatas aliorum ſententias, condemnat. Utrum hæc procedendi methodus juſta ſatis & humana videbitur, penès æquos arbitros judicium eſto.

Tertiò, nullo malo in virum Eruditum animo, me ad Diſſertationem iſtam ſcribendam acceſſiſſe, ſed duntaxat ut experirer, quid in *Euſebij* gratiam verè dici poterat, utque memet adverſus iniquam *Clerici* cenſuram defenderem. Cum ad aures meas primùm pervenerit (adeo in angulo cum libello latitare ſoleo) vix famâ mihi notus erat Vir Eruditus, pauca illius ſcripta videram, pauciora legeram: Et ſciat velim, cum animum ad ſcribendum appuli, me nec *nimio affectu præpeditum (b)* fuiſſe, nec in ipſum *aliunde exacerbatum*. — Mihi certè curæ

(a) Ep. IV. p. 118. *(b)* Ep. VI. p. 213.

fuit,

fuit, intrà modeſtiæ & moderationis limites conſiſtere; & ſpero me non aliter feciſſe. Num ita ſe geſſerit in Epiſtolis jam editis Accuſator, dicant alij. Peracre quidem acetum ſibi in Pectore habere videtur, & maſculâ bile intumeſcere, ſuperoſque ſimul & Acheronta in me movere velle.

Irarum tantos volvit ſub pectore fluctus.

Mitto ſannos, ſarcaſmos, ſcommata quibus non rarò petor. Erunt fortaſsè, qui ad comprimendam hominis proterviam, ipſum ſtylo paulò acriori caſtigandum judicabunt. Verùm malum malo rependere, parque pari redderi, nec mei moris eſt, nec ingenij; præſertim cum exemplo ſuo nos optime inſtruxit Clementiſſimus Dominus. (a) Τὸν λοιδορέμενον οὐκ ἀντιλοιδορεῖν. Nullus hîc mihi invidiæ locus, in adverſario meo ingenium, variamque Eruditionem non invitus agnoſco, candorem, humanitatem, manſuetudinem, & quam tantoperè jactitat, æqua-

(a) 1 Pet. II. 23.

nimitatem,

nimitatem planè desidero. Quocunque enim se vertit Lector, exacerbati animi indicia facile deprehendet. *(a) Verùm lenitèr qui sæviunt, sapiunt magìs.*

Quartò, maximam Dissertationis partem à D. *Clerico* intactam præteriri. Prætermissis enim, quæ ad astruendam *Eusebij* causam adduxeram, quæque integram ferè Dissertationem constituunt, in iis, ut plurimùm, hæret, quæ nonnisi per accidens Proemio & calci accesserunt. Adeò ut lis hæc, magnâ saltèm ex parte, fit merè personalis, haud titivilitio digna. Neque enim tanti sumus, ut Virorum Eruditorum multùm interesse judicetur, quid *Joannes Clericus* de Patrum quorundam obscuritate, & ambiguitate sentiat, ipsenè sit delator, egóve dissimulator, vel obtrectator fuerim; quasi in his Reipublicæ Literariæ salus verteretur.

(a) Plaut. Bacch. Act. 3. Sc. 3.

Quintò,

Quintò, Cum harùm Epiſtolarum pars longè maxima ad me parum ſpectet, ut in ſequentibus oſtendetur, nil mirabitur Eruditus Lector, ſi, ut tempori tædioque ſuo, paritèr ac meo, parcam, in argutiis hiſce refellendis brevior ſim, & quæ dicenda ſunt, in pauca conferam. Non enim vacat lubétve Adverſarij mei ductum ſequi, qui quidlibet ex quolibet extundere ſolet, & moniti *Ariſtophanis* (a) parùm memor, *μὴ σὲ ὁ θυμὸς ἁρπάσας ἐκτὸς ὁίσει τῶν ἐλαιῶν*, *ne ira te malè impulſum*, *extrà oleas raptet*, *cavebis*, extrà oleas ſæpè evagatur, amplis excurſibus, inutilibus argumentis, cumulatis veterum citationibus, Græcis, Latiniſque, quandoque parùm appoſitis, ſæpè non neceſſariis, paginam ubique onerat. Præſtat ſilere, quam hùc illùc curſitantis, & omnia undique ad ſe arripientis veſtigia, longo ſermonis ambitu proſequi. Rectè *ὁτὰν Σα-*

(a) In Ran. Act. 4. Sc. 1.

σίμων,

ὰμων, doctissimus postea novæ Romæ Archiepiscopus (*a*).

Ὅμως ἄκουσον ὡς ἔχει· τῶν δὲ σοφῶν
Πλέον τὸ σιγᾶν, ἢ τὸ σὸν περιλέχειν.

Audi tamen quo pacto se res habeat; Sapientis viri silentium majus quiddam est, quam longæ ambages tuæ. Missis igitur digressiunculis, missis Rhetoricis amplificationibus, aliisque deciès repetitis, multò magis convitiis & contumeliis, misso denique quicquid ingenium acre, petulans, malevolum in me effundere potuit, ad ea solum advertam animum, quæ ad me proximè & immediatè pertinere videantur. Quippè si omnia, quæ occurrunt, captarem, si singula scrupulosa lance expenderem, non jam Epistola mihi, sed crassum volumen esset exarandum: adeóque si controversia nostra ex responsi mole, atque citationum multitudine, potius quam ex ipsius rei justitiâ sit metienda, causâ me excidisse

(*a*) Carm. adv. Episc. à Toll. Edit. Vers. 764. p. 68.

fateor.

fateor. Ἀλλ' οὐ τὸ μέγα ἕν ἐστὶν, ἐν τῷ δὲ ἕν, τὸ μέγα. Interim lepidè mecum agit Vir Eruditus, cum post tot in me congesta convitia, tot nomini meo inustas maculas, ait (*a*), se *responsum à me nec expectare, nec expetere*; quasi Asinus essem clitellarius, ad quodvis onus ferendum natus, cui post tot impactas plagas, non modò non recalcitrare, sed nè vel rudere liceret. Erant inter leges Atticas hæ duæ (*b*), Ἀπολογητέον, *Accusatus Oratione se purgato*; deinde Παντὶ λαβεῖν δίκην ὑπὲρ τοῦ κακῶς πεπονθότος ἐξεῖναι, *Cuivis eum, qui alteri injuriam intulerit, accusare, permissum esto.* Necessariæ itaque defensioni meæ non deero, sed illatas mihi injurias diluam; brevitèr quidem & modestè, liberè tamen; utpotè cum homine acturus, cujus nec iram metuo, nec favorem aucupor.

His præmissis, ad excutiendum primum Accusationis caput me accingo.

(*a*) Ep. I. p. 4. (*b*) ap. Petit. lib. 4. Tit. 4. & l. 7. Tit. 2.

In

In Prefatione *Diſſertationis*, ex vitis à *Joanne Clerico* Gallicè conſcriptis, poſteà Anglicé editis, nonnulla adduxeram, quibus de Sanctorum Patrum obſcuritate, ambiguitate, & repugnantiâ agit. Hinc ei ortus clamor (*a*), conari me injuriam ſibi, & invidiam facere, quod quàm longè à mente meâ abfuit, dixi ſuprà. Certè verba ejus fideliter retuli, notatis etiam paginis ubi reperiuntur ; nec in alium ſenſum à me detorta eſſe, queri poteſt, cum nuda tantum verba allegaverim : quo verò animo, quémve in finem hæc ſcripſerit, ipſe omnium novit optimus. Equidem ſi recte intelligatur, de ipſâ re non erit inter nos multa contentio. Quis enim negavit unquam, ineſſe Patrum ſcriptis nonnulla, quæ, primâ ſaltem facie, minùs perſpicua ſunt, ſedulumque & attentum Lectorem exigunt ? occurrere multa, in quibus à ſe invicem diſſentire videantur, nobis præſertim, qui tot ſeculorum intervallo ab iis remoti ſumus, quibus dicto-

(*a*) Ep. III. p. 112.

rum

rum quorundam occaſiones minus cognitæ, minus perſpecta, quibus utuntur, vocabula, & loquendi genera; ignoti illorum temporum ritus & inſtituta, quæ jamdiù in deſuetudinem abierunt? Neque multum refert, ſi in levioribus quibuſdam inter ſe diſſideant, dum in ſummâ rei, in primoribus Fidei articulis conſentiant. Ut permirum mihi videatur, niſi plus ſatis otio abundet, Virum Eruditum in his explicandis demonſtrandiſque tantum ſtudij laboriſque poſuiſſe. Et quidem non alio animo loca iſta à me prolata ſunt, quam quod viderem ea ad nullum alium ſcopum collimare, nullo uſui rectiùs inſervire, quàm ad labefactandam Sanctorum Patrum exiſtimationem, ad conculcandam eorum Reverentiam, donec tandem ipſorum ſcripta ex Studioſorum manibus excutiantur. Quos igitur, Juniores præſertim φιλαρχαίους, datâ hâc occaſione breviter monere, officij mei eſſe duxi. Quid? quod ipſe non diffitetur *Clericus* (*a*), ſe in vita *Euſebij parum hono-*

(*a*) Ep. III. p. 93.

rifica

rifica de nonnullis Patribus dixisse, iis nimirùm, qui dogma de unitate Dei malè interpretati fuerint. Mirari quidem subit, unde factum sit, ut venerandæ vetustatis Antistites, qui per omnia rei Christianæ secula magno in pretio, summoque in honore habiti sunt, quos tantâ veneratione hactenùs coluit Christianus orbis, hâc demùm, quâ vivimus, ætate, in contemptum venirent, vilescerent indiès, & pro nihilo ducerentur. Si quis in eorum libris occurrit defectus, mox augetur, & amplificatur; si vel leviſſima hallucinatio, exaggeratur, & in portentosum errorem provehitur; Sacrarum Literarum interpretationes ab iis adhibitæ, tanquam ludicræ, insipidæ, & plane ἀπροσδιόνυσοι rejiciuntur; rationes & argumenta, velut futilia, ficulnea, imbecillia exsibilantur. Quid verba multa? tanquam stolidi, fungi, bardi, blenni, buccones, præ fœcundis saltem, sublimibus, acutiſſimisque nostri temporis ingeniis à pleriſque irridentur. Quænam, Deus bone! tam stupendæ mutationis causa? unde inversæ

versæ adeo rerum vices? Seriò hæc mecum pensitanti, vix ulla commodior occurrit ratio, quàm quòd Sancti Patres, Catholicæ Fidei, Nicænorumque dogmatum testes sint inconcussi, vindices acerrimi; qui fidem ab Apostolis traditam, à majoribus acceptam ad nos usque propagârunt, acceptam vitâ, voce, etiam & sanguine suo confirmârunt, invictisque argumentis contra omnia Hæreticorum molimina sartam tectam conservârunt; quique nullis sophismatibus flecti queant, ut in Unitariorum causam testimonium dicant. Hinc illæ lachrymæ, hæc fundi calamitas. Adeò ut de Antiquitate Ecclesiasticâ dici potest, quod de Ratione alicubi habet *Malmsburiensis* Philosophus, *ubicunque Ratio homini repugnat, hominem ipsi Rationi repugnaturum.*

Quicquid alij, noster, ne Patres prorsus spreviſſe videatur, Epistola IV. in prolixam delabitur dissertationem de Patribus, eorumque usu, de observantiâ iis debitâ, & quousque se extendit eorum auctoritas. Quæ minutatim

non excutiam, cum adversùs me directè non militant, imò pleriſque calculum meum non invitus addo; etſi in iis ſint non pauca, quæ caſtigari mereantur. Sed Antiquitatis Eccleſiaſticæ, Sanctorumque Patrum cauſam ex profeſſo jam non ago. Cumulatè id præſtiterunt alij, Viri extra omne dubium Eruditi, quorum ſcrinia non compilabo. *Dalleum* (*a*) magni ſemper feci, utque melioris notæ, primique ſubſellij virum, Pietate & Eruditione illuſtrem, deque Eccleſiâ Reformatâ, præcipuè contrà Pontificios optimè meritum, veneratus ſum: imò in eo ipſo libro *de uſu Patrum* accuratam purioris vetuſtatis notitiam luculentèr oſtendit. Primus & ferè unicus iſtius libri ſcopus eſt, Pontificiis circa Patrum infallibilitatem arma eripere, eorumque argumenta proſternere & profligare: Et ſi in ipſo diſputationis æſtu ἀμελίᾳ τῆς ἀνδολικῆς quandóque abreptus fuerit, quis miretur? Cum viris etiam ſummis id

(*a*) Vide Ep. IV. p. 115, 116, 117.

quandoque

quandoque accidere solet; neque omnia se in hoc libro probare fatetur noster (*a*). At si in vivis jam esset, quàm ægrè ferret Vir Pientissimus, si aliqui reperirentur, qui argumentis, quibus ipse causam Pontificiam adeo felicitèr debellavit, ad labefactandam & subvertendam Nicænam Fidem abuterentur. Sed quid opus nota noscere? in hoc omnes fermè conveniunt Reformati, Sacram Scripturam primam esse, & unicè infallibilem Fidei morumque normam, proximum post Sacras Literas locum Sanctis Patribus dandum esse, quatenùs iis consentiunt, & veritatem inibi traditam suo judicio comprobant & confirmant. Veneramur Patres non tanquam Fidei Judices, sed Testes, qui quid quovis seculo gestum, creditúmve sit nobis fidelitèr exponunt, Sacrum Fidei depositum ad nos transmittunt; quæ Hæreses, & quando ortæ, hunc vel illum Fidei Articulum oppugnârunt, perspicuè docent. Et quò vetusti-

(*a*) Ep. IV. p. 117.

ores hi teſtes ſunt, eò validius ferunt teſtimonium, & nos majori nitimur certitudine. Hanc viam in defendendâ Religone Chriſtianâ inierunt olìm fortiſſimi ejus Athletæ, *Tertullianus*, *Auguſtinus*, alij, ad Anteceſſores ſuos perpetuò provocantes. Nemo verò hoc Argumentum feliciùs, diſertiùs, luculentiùs tractavit, quàm *Vincentius Lirinenſis* in *Commonitorio adverſus Hæreticos*, è quo paucula excerpam (*a*). *Si quis velit exurgentium Hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſque vitare, & in fide ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam Domino adjuvante deberet. Primò ſcilicet Divinæ Legis Auctoritate, tum deinde, Eccleſiæ Catholicæ Traditione*—— (*b*) *In ipſâ Catholicâ Eccleſiâ magnopere curandum eſt, ut id teneamus*, QUOD UBIQUE, QUOD SEMPER, QUOD AB OMNIBUS CREDITUM EST. *Hoc eſt verè propriéque Catholicum (quod ipſa vis nominis ratioque declarat) quod*

(*a*) P. m. 317. Ed. Baluz. (*b*) Ibidem.

omnia

omnia ferè universaliter comprehendit; *sed hoc demùm ita fiet, si sequamur Universitatem, Antiquitatem, Consensionem.* Verum omnia hùc spectantia notare, integrum esset *Commonitorium* exscribere. Concludit tandèm, (*a*) *hoc apud omnes ferè Hæreses quasi solenne esse ac legitimum, ut semper profanis novitatibus gaudeant, Antiquitatis scita fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientiæ à fide naufragent. Contrà verò Catholicorum hoc verè proprium, deposita Sanctorum Patrum & commissa servare, damnare profanas novitates, & sicut dixit, atque iterum prædixit Apostolus, si quis annunciaverit præterquàm quod acceptum est, Anathema sit:* Pluribus deinde interjectis, hæc habet: (*b*) *Quibus hâc lege credendum est, ut quicquid vel omnes, vel plures, uno eodemque sensu manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi Magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmave-*

(*a*) P. 356. (*b*) P. 362.

rint, id pro indubitato, certo, ratóque habeatur.

Ex his liquet, non esse efficaciorem Hæreses refutandi rationem, quàm si post allegatam SS. Scripturæ auctoritatem, Constantem & Universalem Veterum consensum ad partes nostras advocemus. Expertus est id *Theodosius* Imperator(*a*) Anno CCCLXXXIII. quando Catholicos Episcopos cum *Arianis*, *Macedonianis*, *Eunomianis*, coactâ Synodo confligere vellet; suadebat potius *Nectario* & *Agellio*, qui ipsum consuluerant, *Sisinnius*, ut interrogarent Hæreticos istos, num admitterent illos Doctores atque interpretes SS. Scripturarum, qui ante dissidium Ecclesiæ floruissent. Εἰ μὲν γὰρ τούτων, ἔφη, τὰς μαρτυρίας ἀποβάλωσιν, ὑπὸ τῶν οἰκείων ἐξελαθήσονται· εἰ δὲ ἱκανοὺς εἰς ἀπόδειξιν τῶν ἀμφιβόλων ἡγήσονται, προσίσχεσθαι δεῖ τὰς αὐτῶν βίβλους· εὖ γὰρ ᾔδει. ὡς οἱ παλαιοὶ συναΐδιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν εὑρόντες, οὐκ ἐτόλμησαν εἰπεῖν ἐκ τινὸς ἀρχῆς τὴν γένεσιν αὐτὸν ἔχειν.

(*a*) *Sozom.* l. 7. c. 12. p. 718. *Socr.* l. 5. c. 10.

Etenim,

Etenim, aiebat, si istorum testimonia rejecerint, à suis Consortibus explodentur. Si verò illos ad dirimendas Controversias idoneos esse arbitrabuntur, proferendi sunt eorum libri: probè enim nôrat, inquit Sozomenus, *Antiquos, qui filium Patri coæternum credi reperissent, nunquam ausos fuisse dicere, quòd generationis suæ aliquod habuisset initium.* Hoc consilio usus Imperator tentare cæpit Hæreticorum animos, quidnam ipsi de Veterum interpretationibus sentirent: & percontatus ex iis, qui veteres magnoperè laudarent, utrùm ex illorum dictis controversias decisuri essent, & num illos idoneos Doctrinæ testes judicarent, mox dissentientes inter se Sectarum Principes abierunt. Undè statim lege latâ *Theodosius* Hæreticos penitùs exterminavit. *F. Socinus*, Hæreticorum superiori sæculo Antesignanus, primus, ni fallor, apertè Patribus bellum indixit, Resp. ad Wiek. (*a*) cap. ix. *Non est igitur cur Adver-*

(a) Opp. Soc. T. II. p. 618.

ſarij univerſalem iſtum ac perpetuum Eccleſiæ conſenſum jactent, ſive ejus quæ nomine tantùm, ſive ejus quæ re etiam ipſâ Chriſti Eccleſia fuerit. Nam quæ & ubi per plurima ſæcula vera fuit Chriſti Eccleſia, adhuc ſub judice lis eſt: itaque hæc auctoritatum & teſtimonicorum ex Patribus & Conciliis congeries nullas vires habet, præſertim verò adverſùm nos, qui ab iſtis Patribus & Conciliis, quæ extant, nos diſſentire non diſſitemur. Et Magiſtri quidem ſui veſtigiis Diſcipuli, & Sectatores ejus ad hunc uſque diem inſiſtere ſolent.

Patribus *Synodos* adjungit *Clericus* (*a*), & quamvis Synodos vix nominaveram, ſed queſtus ſolummodò fueram, ipſum, *Patres veluti præjudiciis in conventibus ſuis Synodalibus mirè occæcatos* traducere; arreptâ hâc occaſione, novum ſibi quærit diverticulum. Exemplum profert Synodi *Tyriæ*, in quâ injuſtè damnatus & oppreſſus eſt *Athanaſius*; cujus integram

(*a*) Ep. VI. p. 189.

Hiſtoriam

Hiſtoriam in vitâ *Athanaſij* dudùm tradidi, omneſque dolos & technas, quibus Virum optimum opprimere nitebantur *Ariani*, fidelitèr expoſui. Exemplum item Concilij CP. I. quo *Gregorius Nazianzenus* factioſis quorundam artibus vexatus, ſede ſuâ ceſſit potius, quàm expulſus eſt ; unde fervidioris ingenij Vir, πολυθρύλλητον illud de Synodis judicium protulit. Sed fac hanc illamve Synodum iniquè ſe geſſiſſe, & nullam veritatis, nullam innocentiæ rationem habuiſſe. An mox omnes ſunt damnandæ, rejiciendæ, exterminandæ? Certè veritas nuſquam nobiliores egit triumphos, quàm cum in Conciliis Oecumenicis *ex omni orbe Romano congregatis*, caput extulerit, Hæreſes in herbâ compreſſerit, pravaque & pernicioſa dogmata publicis decretis profligârit. Quibus verò ſannis & ſarcaſmis, quo contemptu veterum Synodos excipit *Clericus*, pleniùs alibì oſtendit, ubi hæc inter alia de Conciliis habet (*a*). *Reges*

(*a*) Art. Crit. P. II. n. 16. p. 618.

ignari

ignari (*non legent hæc Mahumedani, nec Ethnici, sed ij, quorum scire interest quo fiet, ut verum apertè proloquar*) *Reges inquam ignari nec inter bonos Principes numerandi, convocârunt Græculos, qui linguæ acuendæ per totam vitam operam dederant, rerum ipsarum ignaros, contendendi studiosos, perpetuis rixis inter se divisos: & bardos aliquot homines ex Occidente; rudiores quidem illos, sed non meliores; ijque post pudendas contentiones, obscurissima quædam dogmata, verbis sæpè parùm aptis, auctoritate suâ firmant; quæ stupidi Populi sinè examine adorent quasi divinitùs accepta.* Nec hâc occasione *Nazianzeni* celebratam de Synodis sententiam prætermittit. En Hominis ingenium! hæc sole clariora, nullo Commentario indigent. Adeóne verò viles ei sunt (ut hoc obitèr notem) *ignari, nec inter bonos Principes numerandi* (in genere enim hæc dicit, & ne minimâ quidem exceptione factâ) *Constantinus M. Theodosius* Senior, & ipse *Magni* titulo meritò ornatus, *Theodosius* junior, *Marcianus*, *Justinianus*, *Con-*

Constantinus Pogonatus, *Justinianus Rhinotmetus*, &c. qui *Græculos* suos, & *rudiores Occidentales* in Synodum cogere soliti sunt? Quid mirum, subditos illum, & inferioris subsellij Viros fastidiosè tractare, qui Maximos universi orbis Romani Principes tanto contemptui & ludibrio exponere non erubescit? Quid in liberâ Republicâ liceat, nescio; certè in aliis regnis vix hæc ferenda essent. Desino jam mirari, ipsum (*a*) alibi dixisse, Principes *mera esse Ecclesiasticorum instrumenta*, quibus scilicet datâ quâvis occasione abuti possunt. Et tamen insolentem hanc (*b*) in Reges contumeliam recoquere non veretur. Etiamsi enim concedimus, Principes, qui alienis oculis auribusque uti necesse habent, callidis Episcoporum, Aulicorúmve consiliis & fraudibus obnoxios esse; ubi tamen ita se res habet, verecundè tractandum est eorum nomen, nec contumeliosa quæque de iis temerè in vulgus projicienda: utpotè, quod

(*a*) *Vit. Euseb.* p. 136. Ed. Angl. (*b*) Ep. VI. p. 192.

parum

parum in Epiſcoporum honorem, multò minùs in Imperatoriæ Majeſtatis dignitatem cedere ſolet: quaſi Reges in manibus Epiſcoporum tanquam *naſi* eſſent *cerei*, in hanc illamve formam pro arbitrio flectendi.

Antequàm hoc primum accuſationis caput dimittam, reſtat alia querela breviter examinanda. Queſtus nempe eſt (*a*), me grandem ſibi litem ſcripſiſſe, ‘ quod Eccleſiaſticorum vitia, ‘ avaritiam, ambitionem, dominandi ‘ libidinem, Sacerdotij & Epiſcopatu- ‘ um aucupationem, ſuperbiam, ira- ‘ cundiam, lites & jurgia pro nugis, ‘ nulliuſque momenti rebus, idque ſub ‘ ſpecioſo Fidei defendendæ prætextu ‘ notaverat & expoſuerat. Hinc pro more ſuo in prolixam excurrit declamationem à *pag.* 197. uſque ad *pag.* 210. ut pluribus exemplis, teſtimoniiſque evincat, quod nemo unquàm negavit, ſcilicet, Eccleſiaſticorum mores vitiis quandoque fuiſſe inquinatos.

(*a*) Ep. VI. p. 187.

De

De Diſſimulatione iterum hîc mihi objectâ, agam infra. Sed (*a*) ex *Baſilio* & *Nazianzeno* depromptæ ſunt hæ querelæ. Fateor, nec negare mihi animus erat. Quibuſcunque demum occaſionibus moti, ingentis zeli & pietatis viri, has querimonias ediderint, inquirere operæ pretium non eſt; quo fine protulerit noſter, ipſe nos celare noluit. Obſervaveram id in ipſa *Diſſertatione*, his verbis: ‘ Et nè quò hæc ‘ tendant neſciremus, ſubdit: *niſi conſtaret nobis, de quibus hæc dicta ſunt, exiſtimaret quis, non aliud hîc præter hodiernorum Theologorum imaginem nobis exhiberi.* Multa quidem paucis, in genere, & ſine exceptione dicta: ut jurares, ex mente *Clerici*, Theologos, qui hodie vivunt, nihil aliud quàm peſſimorum nebulonum, nequiſſimorum, & viliſſimi furfuris hominum gregem eſſe. Deus bone! *quis talia fando temperet à lachrymis?* Sed caveat ſibi Accuſator, ne tot fratribus ſuis falſum dicat teſtimonium. Etiamſi

(*a*) Ibid. p. 197.

enim

enim omni ævo erunt fortaſſe Eccleſiaſtici, qui ad virtutis & pietatis normam mores ſuos parùm componant, ſpero tamen per Dei gratiam, hâc noſtrâ ſaltem ætate, pauciores eſſe, & quod inquiſitione factâ reperientur tanquam *rari nantes in gurgite vaſto*. Huic objectioni quàm breve, quàm plumbeum, quàm elumbe reſponſum parat, videri poteſt *Ep.* VI. *p.* 210. intus, ut videtur, monente Conſcientiâ, quantâ proterviâ, quanto ſupercilio hujus temporis Theologos tractaverit; & cùm vitia, pravique mores, quos objiciat, deſint, inſcitiam, imperitiam, linguarum & facultatum ignorantiam, ſtylique barbariem, præ ſe ſaltem, exprobrare non erubeſcit. In genere, quàm abjectim habet Theologos, quantumque prurit ei animus, arreptâ quâvis occaſione, illos ludibrio exponere, etiam cum ſumma Fidei Evangelicæ myſteria tractant, liquet vel ex uno paragrapho, quo acrem hanc in eos cenſuram ſtringit. ‘Theologi, *inquit* (*a*),

(*a*) *Artis Crit.* P. I. c. 9. n. 15, 16.

qui

‘ qui non minùs loqui amant, quàm
‘ Philoſophi, de iis, quæ non intelli-
‘ gunt, ſæpè æquè verentur ſimplici
‘ hujuſmodi Oratione uti. Itaque ſi
‘ quis quærat interpretationem mul-
‘ torum vocabulorum, quibus utuntur
‘ non eodem ſenſu quo alij, regerunt
‘ Sermonem eſſe *de re incomprehenſibili*,
‘ ideoque à ratione humanâ non debe-
‘ re de eâ, ut de cæteris rebus, judici-
‘ um ferri. Quâ ſanè in re non fal-
‘ luntur ; ſed paulò ſimpliciùs ſi lo-
‘ querentur, ita auditores ſuos com-
‘ pellarent. *Hactenus de re nobis ig-
notâ loquuti ſumus, voces ideò adhibui-
mus, quibus nullam ſubjecimus poteſta-
tem ; itaque eas interpretari non poſſu-
mus.* Hoc, poſt paucas lineas ait, eſſe, *tanto apparatu verborum, quaſi ſiparios tegere merum* NIHIL. Per Sermonem *de re incomprehenſibili*, perque *merum* NIHIL, intelligi præcipue dogma de SS. *Trinitate*, prout vulgò à Theologis explicatur, ex ſequentibus conſtat ; ubi adducto ad illuſtrationem *Auguſtini* loco, *de unâ Eſſentiâ, & tribus perſonis*, Patre, Filio, Spiritu-

que

tuque Sancto agit. Nolo rem exaggerare, ut molliſſime dicam, crudè omninò, temeréque hæc effutiit, & nimiâ (quod ſolent Scripturientes) feſtinatione uſus eſt. Ad ſingularia aliquot exempla jam deſcendo.

Quàm contumelioſè, parúmque verecundè magnum noſtrum *Hammondum*, Virum & ſuprà ejus laudes & vituperia poſitum, tractaverit, *Supplementum* Annotationum ejus luculentèr oſtendit. Quod non uno exemplo demonſtravit nuperus ejus *Vindex*, plura ſe, ubi opus, daturum pollicitus. Quanto vero majori faſtu ipſum *Vindicem* (hunc enim deſignari non dubito) exagitet, nos alibì ſatìs apertè docet (*a*). Ait, hominem eſſe planè imperitum, Linguæ Græcæ & Hebraicæ, humaniorumque literarum rudem: & in Logicis parùm verſatum: ſuadetque ut aliquot annos in lectione bonorum Scriptorum abſumeret: fruſtrà ipſum ſperare, eum quem oppugnavit ſecum decertaturum (Aquila ſcilicèt non capit muſcas) bre-

(*a*) *Diſſert. de Cal. Theol.* p. 402.

vique

vique ejus iracunda ſcripta involvendis exigui pretij mercibus abſumenda forè. Ita magnis ingeniis ſolenne eſt, maſculo & heroico animo ſpernere, quæ refellere nequeunt. En hominem ipſis Libethriis indoctiorem, qui ὅτι τὰ τρία Σπισχόρα γινώσκει, infaceto rure infacetior! Sed erit fortaſſe, cum obſcurum hunc auctorem non adeo imperitum, non adeò vilem, nulloque numero habendum eſſe, ipſe *Clericus* ſuo periculo experietur. Ecce aliud exemplum. In *P.* quem vocat, *Ventidium*, Virum & ingenij & eruditionis laude minimè fraudandum, poſtquam toties acerrimè invectus eſſet, hæc tandem habet (*a*). *Sed operæ pretium non eſt, multis probare, Hominem carere & ἀκριβείᾳ, & bonâ fide. Quod ſtatim animadvertent, quicunque vel pagellas aliquot ejus Scriptorum* CUM MEIS *comparabunt.* Hæc ſuffenus, ſuique plenus (*b*),

——*Celſâ qui mentis ab arce*
Deſpicit errantes.

(*a*) Ep. VIII. p. 290. (*b*) *P. Stat. Syl.* l. 2. c. 2.

id est, à se dissentientes, sententiæque suæ contradicentes. Verùm longè majoris modestiæ esset, de se humiliter sentire, laudesque suas aliis decantandas relinquere. Audiat disertissimum *Plinium* (a) Epist. ad Pomp. Saturninum, qui Elucubrationes Plinianas magnoperè admirabatur. *Onerabit hoc modestiam nostram, etiamsi stylus fuerit pressus demissusque : propterea quod cogimur, cum de munificentiâ Parentum nostrorum, tum de nostrâ disputare. Anceps hic & lubricus locus est, etiam cum illi necessitas lenocinetur. Etenim si alienæ quoque laudes parum æquis auribus accipi solent, quàm difficile est obtinere, ne molesta videatur Oratio, de se, aut de suis differentis ?*

Ad alterum accusationis caput, idque longè gravissimum, jam transeo ; me nempè in conscribendis Sanctorum Patrum Vitis, virtutes eorum splendidè deprædicâsse, labes & nævos vaferrimè dissimulâsse. Et hic mirum

(a) Lib. I. Ep. 8.

quantas

quantas excitat Tragœdias? Me infœlicem catenulis à ſe fabricatis vinctum jactabundus per triumphum ducit; multo hiatu, magniſque clamoribus ad ravim uſque & raucedinem contendit, monet, vociferatur, *Cavete D ſſ ſimulatorem.* Pergit ſemper aures tundere, & nihil ferè præter *Diſſimulationem*, *Diſſimulationem* per utramque crepat paginam (*a*). Hcc ei primum, medium, & ultimum; hoc πρῶτον ψεῦδος, hæc conſtans, quâ oberrat, chorda. Planè ſi talis eſſem, qualem me ubique depingit Accuſator meus, Monſtrum me, non Hominem crederet, quaquà patet, Eruditus orbis. Et quid tandem mali feci? ſcripſi ſcilicet vitas, ubi quovis in angulo latet dolus, latet diſſimulatio. Effluxerunt jam Anni XXIII, ex quo Vitæ iſtæ (ſaltem quæ Tomo primo continentur) à me conditæ, in lucem exierunt. Legerunt Angli, legerunt & & exteri; & nemo hactenus repertus

(*a*) *Vid.* Ep. I. p. 9, 30, 32. II. p. 34, 65, 68, 73, 77. III. p. 84. V. p. 159, 161, 162. VI. p. 198, 213. *& alibi paſſim.*

est, qui tam turpi, fœdo, infami crimine eas dehonestavit. Solus hoc arcanum novit *Joannes Clericus*, qui *cernit acutùm*, *Aquilâ* aut *Serpente Epidaurio* oculatior. Verùm in totâ hac Controversiâ cum larvâ suâ luctatur Vir Eruditus, & strenuè ἀεροβατεῖ; à mente quippe institutoque meo, toto (quod aiunt) errat Cœlo. Ne igitur in tenebris ampliùs dimicemus, utque simul & semel atrocem hanc calumniam diluam & depellam, totam instituti mei rationem æquo Lectori candidè & ingenuè aperiam, & ut cum *Plauto* (a) loquar, *ne admittam culpam, ego meo ero promus pectori.* Multum diuque olim observaveram, eos, qui de Sanctis Patribus Scriptoribusque Ecclesiasticis agunt, scripta quidem illorum sollicitè expendere, & examinare; opiniones, sententias, nævos, magnâ curâ exquirere, & investigare: res verò gestas, omnemque vivendi rationem insuper habere, & vel nihil

(a) Trin. Act. 1. Sc. 2. p. 1012.

dicere,

dicere, vel supremo tantùm digito attingere. Hunc defectum supplere volui, & missis quæ alij copiosiùs tractaverant, Historicam Vitæ seriem, & rerum gestarum curriculum præcipuè ob oculos posui. Et hoc me fidelitèr præstitisse spero. Quicquid memoratu dignum reperiri poterat, vel in suis Libris, vel æqualium Scriptis, curiosè indagatus sum, sedulò excerpsi, & juxtà temporis ordinem, quantum pote, in qualem qualem Historiam redegi; in quâ nec virtutes eorum, nec vitia celavi. Hæc consilij & propositi mei summa; hæc unica penè scribendi mens. Sanctorum verò Patrum dicta sub examen revocare, singulares eorum opiniones, pravaque dogmata, seu Theologica, seu Philosophica, anxiè excutere & ventilare, ab instituto meo tantum aberat, ὅσον ἔστιν ἀπὸ γαίης. Lectorem quidem in quavis ferè Vitâ paucis monui, inesse hujus, illiusve Patris scriptis labes quasdam, & obnoxia dogmata; in singulis verò omnia, quæ undique corradi poterant, curiosè excutere, deque iis prolixè di-

ſputare, neque mei operis erat, neque inſtituti.

Sed hìc aurem mihi vellit (*a*), & in memoriam revocat celebrem illam Hiſtoriæ legem apud *Ciceronem* Lib. II. *de Oratore*, p. 148. *Ne quid falſi quis dicere audeat; deinde, ne quid veri dicere non audeat, nequa ſuſpicio gratiæ in ſcribendo, ne* qua *ſimultatis*. Primam legis Hiſtoricæ notam à me violari, nemo, nedum ipſe Criticus criminabitur. Neque in alteram me magis peccâſſe ſpero. Geſta Sanctorum Patrum, tam quæ ad eorum famam, quam quæ ad vituperium ſpectant, nudè & fidelitèr retuli. Si verò opiniones & dogmata parciùs attigerim, in cauſâ erat, quod hanc provinciam plenâ manu ornaverant alij, quorum labores compilare nolui. Ne tamen curioſis, & emunctæ naris Criticis, ſuſpicandi anſam præberem, diſſimulandi ſtudio hæc à me præteriri, Lectores hâc de re ubique brevitèr monui, ne incauti

(*a*) Ep. II. p. 18.

deci-

deciperentur. Imò in quibuſdam Vitis ſtudioſè illud, diligenter, & cumulate præſtiti, quemadmodùm in Vitis *Juſtini Martyris*, *Origenis*, aliiſque nonnullis videre eſt; certiſſimo argumento, me hæc diſſimulare nolle. Pergit *Cicero*, *ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo*, *ne qua ſimultatis*. Ut Patrum labes diſſimularem, *cui bono?* in eorum gratiam id à me fieri? at illi longe ſupra omnes laudes, aut vituperia poſiti ſunt, & quidquam gratiæ me ab iis reportaturum ſperare, ſi quid unquam aliàs, ridiculum eſſet In aliorum? At quid meâ intererat, candidius, ſequiúſve de Sanctis Patribus alij judicarent? fac verò hanc mihi fuiſſe mentem, quomodo ſperare potui, hæc à me diſſimulari poſſe, quæ ipſe prius agnoveram, quæque alij, me nondum nato, orbi erudito dudùm expoſuerant? Neque enim bardus adeò, habeſque ſum, ut à communi hominum ſenſu penitùs deficiam. Conceptis igitur verbis ſanctè coràm Deo, totoque mundo teſtor, profiteorque, *me cum primùm ad ſcribendas has vitas*

animum appulerim, nullâ fraude dolóve, nullo diſſimulandi animo, eorum vitia, nævos & dogmata ſuppreſſiſſe, quo Lectori imponerem, Sanctis Patribus adularer, vel eorum memoriæ me plus juſto faventiorem eſſe oſtenderem. Neque hoc mihi ſanctè affirmanti fidem, ſpero, denegabunt Viri ingenui & eruditi; multò minùs D. *Clericus*, qui ut Socinianiſmi accuſationem declinaret, quem novâ & callidâ ratione ipſum propagare objecerat Adverſarius, hoc uſus eſt argumento (*a*), ſe animum ac conſilium ſuum paulò melius noſcere, adeóque id pernegare. Verùm non neceſſe eſt mihi huc confugere, cum ſemel iterumque Lectores meos monuerim, non mihi in animo eſſe prolixas diſſertationes ad Scriptores Eccleſiaſticos exarare, remiſſo ſemper Lectore ad eos, qui hoc argumentum latiùs & uberiùs tractaverant, nempe ad *Sixtum Senenſem*, *Scultetum*, *Rivetum*, *Labbæum*, *Dupinium*, *Nourrium*, &c. Hæc cum

(a) *Ep. de Suppl. de Hammond.* p. 343. Edit. Lat.

ita

ita ſint, quænam amabò D. *Clerico* cauſa erat, in me tam ferocitèr invehendi, & Diſſimulationem totiès, & tam inſano verborum impetu mihi objiciendi ? Fingit ſibi in animo, quid à me ſcribi voluit & quià non ita ſcripſerim, turpiſſimæ Diſſimulationis notam mihi inurit. Fruſtrà igitur eſt Vir Eruditus, & concidunt planè tot objectiones, accuſationes, probationes, declamatiunculæ, in me congeſtæ. Nec *Decem rationes* contrà diſſimulationes in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ (quas integrâ Ep. V. μελὰ πολλῆς φανλασίας profert) propriè me magis feriunt, quàm *Decem* Campiani *Rationes*, quibus Eccleſiam Anglicanam olim oppugnavit. Neque majoris in me ponderis ſunt Diſſertationes, quas habet, *de Clementis Alexandrini* dogmatibus, de uſu & auctoritate Patrum, aliaque non pauca paſsim obvia. Sed implenda erat pagina, & augenda literarum moles, quò Bibliopolæ crumenam ſuaviùs emulgeret, fucoque Lectoribus facto, aliquid contrà me dixiſſe videretur. Summatim dicam; Hiſtorias ſcripſi non

non Diſſertationes ; Acta condidi, non congeſſi Miſcellanea ; in factis, non in diſputationibus verſatus ſum ; dogmata vitioſa, quæ in Sanctorum Patrum operibus occurrunt, præterij, non diſſimulavi. Edidi has Vitas ſermone Anglico, & in popularium meorum uſum, quos intricatis quæſtiunculis, & ſpinoſis difficultatibus,a vulgi captu quàm maximè alienis, turbare nolui. Planè ſi ad ejus exemplum Vitas compoſuiſſem, opera mea non tam in rebus geſtis enarrandis,quam in opinionibus Philoſophicis, locisque auctorum difficilioribus explicandis collocanda eſſet. Legat, cui lubet, *Vitam*, quam ſcripſit *Aur. Prudentij*, & pro Hiſtoriâ Annotationes potiùs Theologicas, Philoſophicas, Criticas, Grammaticas in quædam Prudentij loca habebit. Iſtiuſmodi Miſcella, *Obſervationes* quidem ad Scriptores Eccleſiaſticos, *Vitæ* vix dici poſſunt. Sed alia me exercebat cura, ad Hiſtorica exponenda præcipuè & pene unicè adjeci animum, húcque conſilia mea, cogitationeſque omnes conferre deſtinavi.

navi. Abhorrebat prætereà à propoſito meo, opus, quod præ manibus habui, in immodicam longitudinem provehere. Et planè, ſi non modò nævos omnes & dogmata prolixiùs excuſſiſſem, ſed & querelas omnes exhauſiſſem, de Eccleſiaſticorum quovis ſæculo vitiis, quæ in Sanctorum Patrum Scriptis ubique occurrunt, *Tertulliani*, *Cypriani*, *Origenis*, *Baſilij*, *Nazianzeni*, *Iſidori Peluſiotæ*, *Hieronymi*, *Auguſtini*, &c. (quod tamen à me exigit Accuſator, eoque nomine ei *Diſſimulator* ſum) Vitas meas non jam in unum, aut alterum Volumen, ſed in inſanam planè molem, penè in *Bollandiani* inſtituti immenſitatem excreviſſe, neceſſe eſſet. Eat nunc Vir Eruditus (*a*) cum *egregiâ* Iſidori Peluſiotæ *Sententiâ*, quæ mihi neutiquam adverſatur; eat cum ſuo *Melchiore Cano* (*b*), niſi Vitas Patrum à me Scriptas cum *Legendis aureis*, ejuſdemque farinæ ſimilibus (de his enim agit Ca-

(*a*) *Vid.* Ep. III. p. 86. (*b*) Ep. V. p. 164.

nus)

nus) conferri velit. Quod Pace boni viri dicere liceat, esset malitiam quidem, non rectum judicium prodere.

Hactenus in genere de Calumniâ, quam mihi affricat Adversarius meus. Verum his non contentus, ad magis particularia descendit, binâque Dissimulationis meæ exempla in medium proponit; in *Clemente Alexandrino* unum, in *Eusebio* alterum. Et quamvis ex antedictis liquet, nullam mihi incumbere necessitatem de his ulterius exquirendi, de utroque tamen nonnulla disseram. Ad *Clementem* quod attinet, summa huc redit. Dum ejus scripta pro more recenserem, ad Hypotypôses veni; & ut Veterum censuras, ubi haberi poterant, potiùs quàm meam expromere soleo, sic *Photij* de hoc opere judicium protuli, dicentis, ἀσεβεῖς καὶ μυθώδεις λόγους in eo contineri, quorum plura exempla, nempe de materiâ æternâ, de ideis, de Filio ad Creaturæ sortem redacto, de λόγῳ carne non facto, sed tantùm apparente, & id genus aliis inibi exhibet: subditque, καὶ ἄλλα ἃ μυρία βλασφημεῖ

καὶ

ἐν φλυαρίαις, *ſexcenta etiam alia blaſphemare & blaterare*; ſimulque innuit ſuſpicionem, quaſi alius quiſpiam in his perſonam ejus egerit. Et planè *Clementis* libros ab Arianis fuiſſe adulteratos, diſertè teſtatur *Rufinus*, *Photio* longè antiquior. Regerit *Clericus* (*a*), *indignus eſt, qui audiatur Rufinus, manifeſtarius ipſe corruptor Veterum.* Eſto, at ſi falsò hæc *Arianis* affinxiſſet, facile à ſui temporis ſcriptoribus redargui potuit, præſertim ab *Hieronymo*, acerrimo ipſius Adverſario, caſtigandus. Certè *Arianæ* perfidiæ, quæ in his libris occurrebant, ſemina, *Clementis* ipſius opus germanum minimè fuiſſe, agnoſcunt non Veteres modo, ſed & recentiores Critici; & in his Doctiſſimus *Petavius* (*b*). Utrum inter eos ſit Criticus noſter, an ea potius ut recta approbaverit, ipſe viderit. Ait (*c*) certè, ‘ſi extarent hodie hi *Hypotypoſeων* ‘libri, conſtaret forte, fuiſſe ſolum- ‘modò dogmata quædam Platonica,

(*a*) Ep. I. p. 11. (*b*) *De Trin.* l. 1. c. 4. Tom. 2. p. 17. (*c*) *Vit. Clem.* p. 41, 42.

‘*Photio*

'*Photio* ob verborum æquivocationem 'haud satis intellecta; alia vero, *Cle-* '*mentis* tempore pro impiis opinioni- 'bus non fuisse habita; ut posteà fa- 'ctum est, ex quo Systemata Theolo- 'giæ à Christianis condita sunt. Et pluribus interjectis, iterum, 'plures '(a) *Clementis* opiniones pro erroribus 'habendrs esse. Ex iis tamen quasdam 'eo solùm nomine ita videri, quià 'sententiæ contrariæ in Scholas, nescio 'quomodo, introductæ fuerint: in- 'deque factum, ut his non obstantibus, Veteres magna encomia in ipsum contulerint. Alibique (*b*), posquam singulares quasdam *Clementis* opiniones recensuisset, subdit, 'omnes *Cle-* '*mentis* libros hujusmodi placitis ple- 'nos esse, quæ ubique perspicuè adeò 'plenéque tuetur, ut evidenter con- 'stet, suo tempore, vulgò saltem er- 'ronea non fuisse habita. Neque e- 'nim verisimile esse, Veteres ipsum 'Catechisten in Magistri sui *Pantæni*

(*a*) *Vit. Clem.* p. 155, 157. Edit. Angl. (*b*) Ibid. p. 26.

'locum

'locum substituere voluisse, tantasve 'laudes ei tribuisse, si tam periculosis 'dogmatibus inquinatum fuisse existi-'mâssent.

Sed ad *Photij* censuram redeo, *inanis est hæc Photij conjectura*, inquit noster (*a*), qui non uno loco *Photio* se parùm æquum exhibet. *Photius*, mihi crede, omnium seculorum suffragio Vir summi acuminis, acris judicij, infinitæ lectionis habitus est, & si quis alius, Κριτικώτατος, & uno forte Critico nostro Gallo-belgico minor. Sed *inanis est conjectura*, quia eadem ferè, quæ in *Hypotyposibus* damnat *Photius*, in genuinis *Stromateωn* libris hodiè deprehenduntur. Interim notari meretur, quod etiam habet *Photius* (*b*), hunc ipsum *Stromateωn* librum ἐνιαχοῦ οὐχ ὑγιῶς διαλαμβάνειν, οὐ μέν τοιγε ὥσπερ αἱ Ὑποτυπώσεις, ἀλλὰ καὶ πρὸς πολλὰ τῶν ἐκεῖ διαμάχεται, *alicubi non sana tradere; non tamen ut Hypotypôses. Nam multa etiam, quæ ibi dicta fuerunt,*

(*a*) Ep. I. p. 11. (*b*) Cod. CXI. col. 288.

oppugnat.

oppugnat. Sed pergit noſter plura *Clementis* dogmata, eaque ſatis prava, ex *Stromatibus* extrahere, nempe de materiâ mundi æternâ, de ideis Platonicis, de dictis Arianam impietatem redolentibus, de mundi renovatione, de Angelis cum mulieribus congreſſis, de ambiguitate vocis λόγου, de ἀπαθείᾳ Chriſti & Apoſtolorum, aliiſque quibuſdam levioribus. Hæc ſigillatim à me non ſunt examinanda: neque neceſſe eſt. Monebo tantum, in Patrum ſcriptis dogmata Philoſophica à fidei articulis probè eſſe diſtinguenda. In his, Sacris Literis & Catholicæ Traditioni ſtrictiùs ſe alligant, & in rei ſummâ omnes conveniunt: in illis, majori utuntur libertate, & opiniones ſæpiùs adhibent, quæ in Philoſophorum Scholis ventilari ſolebant, quin & in explicandis fidei myſteriis quandoque voces è Scholâ Philoſophicâ petitas admovent, ſed ad Chriſtianum ſenſum accommodatas. Verum hæc diſquiſitio jam non agitur.

Miſſis

Miſſis itaque *Clementis* ſententiis prioribus, de poſteriori errore, nempe de Chriſti ἀπαθείᾳ, eoque ſi ex mente *Clerici* æſtimetur longè graviſſimo, paucula annotabo; præſertim cum ſemel iterumque repetit (*a*) Vir Eruditus, mihique in diſſimulationis argumentum vertit. Et primò quidem notare fas ſit, injuſtè me à *Clerico* hâc in parte diſſimulationis inſimulari, cum ejuſdem criminis ipſe reus ſit. Scripſit is *Clementis* noſtri vitam, quâ dicta factaque, præſertim ſingulares illius opiniones & dogmata parùm ſana recenſet & expendit; de hoc verò nè γρῦ quidem. Neſcivit, inquies. At de tam diffuſæ lectionis viro, & in *Clementis* operibus tantoperè verſato, ſuſpicari id minimè licet. Diſſimulavit igitur; ſaltem potiori jure ita dici poteſt, quàm quo infame illud vitium mihi totiès objicit. Cavendum eſt ei, qui tela in alios jactat, ne in proprium ipſius caput retorqueantur. Recte

(*a*) Ep. I. p. 22. V. p. 173.

Plautinum (a) illud, *non soles respicere te, cum dicas injustè alteri.* Certè

Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Secundò, non primus hunc *Clementis* errorem extulit *Joannes Clericus*, etsi de eo tanquam εὑρήματι quodam triumphare videtur. Dudùm notavit illum *Scultetus* (b), notavit & *Petavius* (c), qui *sententiam de Christo non satis castigatam* dicit.

Tertiò, etsi hic *Clementis* nævus primâ quidem facie sit gravissimus, magnâque absurditate laborare videtur, videndum tamen est, nùm commodâ explicatione in saniorem sensum interpretari non liceat. Non sum nescius me hoc pacto adversarij mei indignationem esse incursurum, dicturumque illum, me hoc modo antiquum plane obtinere, patrum nempe errores incrustare, &, si ita loqui liceat, palliare. Nihilominus experibor,

(a) *Pseud.* Act. II. Sc. 2. (b) *Medull. in Clem.* c. 13. p. 120. (c) *De Incarnat.* l. 10. c. 5. n. 8. p. 28.

utrum

utrum ex *Clementis* verbis commodior ſenſus erui non poteſt; ut ſi non penitus excuſari, ſaltem ab abſurditate liberari queant: Ipſum igitur *Clementis* locum inſpiciamus (*a*). Ἐπὶ μὲν τῷ σωτῆρι τὸ σῶμα ἀπαιτεῖν ὡς σῶμα τὰς ἀναγκαίας ὑπηρεσίας εἰς διαμονὴν, γέλως ἂν εἴη· ἔφαγεν γὰρ ὁ διὰ τὸ σῶμα, δυνάμει συνεχόμενον ἁγίᾳ· ἀλλ' ὡς μὴ τοὺς συνόντας ἄλλως περὶ αὐτοῦ φρονεῖν ὑπειλήφει. ὥσπερ ἀμέλει ὕστερον δοκήσει τινὲς αὐτὸν πεφανερῶσθαι ὑπέλαβον· αὐτὸς δὲ ἁπλῶς ἀπαθὴς ἦν, εἰς ὃν οὐδὲν παρεισδύεται κίνημα παθητικὸν, ἔτε ἡδονὴ, ἔτε λύπη. *Sed in Servatore corpus, ut corpus, neceſſaria poſtulaſſe miniſteria ut conſervaretur, ridiculum fuerit. Comedebat enim non propter corpus, quod ſanctâ virtute ſuſtentabatur, ſed ne iis qui unà cum eo verſabantur, in mentem veniret, de eo aliter ſentire; ſicut quidam poſteà exiſtimârunt ſolâ illum ſpecie & phantaſmate apparuiſſe. Ipſe autem erat penitùs paſſionis expers, cui nullus obre-*

(*a*) *Strom.* l. 6. p. 649.

perit passionis motus, neque voluptas, neque dolor.

Tria hoc loco asserit Clemens; *Christi corpus necessariis vitæ præsidiis non indiguisse; fuisse quosdam, qui Christum solâ specie seu visione apparuisse existimârunt*; denique *Christum omnis passionis, & voluptatis & doloris penitùs expertem fuisse.* Ad primum quod attinet, hoc sibi *Clementem* voluisse arbitror; Christi corpus, non ut aliorum hominum corpora, communia vitæ ministeria, ad sui conservationem, necessariò postulâsse, cùm divinâ suâ potentiâ seipsum, etiam sine his sustentare potuisset. Edisse quidem, & bibisse, non quod alitèr se sanctâ suâ virtute conservare non potuit, sed ne ij, quibuscum unà conversatus est, alitèr quam oportuit, de eo sentirent, & pro phantasmate haberent. *Basilij* (*a*) verba à *Clementinis* haud multum abludunt. Ὅτι οὐ ἔφαγε, οὐ ἔπιεν, διὰ αὐτὸς τούτων δεόμενος, ἀλλά σοι μέτρα,

(*a*) *Homil. de grat. act.* T. I. p. 360.

οὐ

καὶ ὅρους τῶν ἀναγκαίων τῆς ψυχῆς παθημάτων καταλιμπάνων. *Manducabat quidem & bibit, non cibo & potu indigens ipse, sed præscriptam tibi relinquens mensuram, statamque regulam, ad quam componere debeas animæ tuæ necessarias affectiones.* Adeóque etiam postquam à mortuis resurrexerit, partem *piscis assi* (*a*), & aliquid *ex favo apiario* ei datum fuisse legimus, καὶ λαβὼν ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν, *quæ ille accepit, & edit in eorum conspectu* (nempe non in sui nutritionem, sed ad confirmandam discipulorum de resurrectione suâ fidem) addunt plures Codd. MSS. τὸ περισσεῦον λαβὼν ἔδωκεν αὐτοῖς, & *sumens reliquias, dedit eis.* Notat *Grotius* Arabem, & vulgatum interpretem eadem etiam legisse. Neque ut supervacuum, *inquit*, videri potest; cum ad certiorem rei fidem pertineat, quod communem cum eo cibum Apostoli sumpserunt: nam *Petrus* hoc ipsum urget *Act.* 10.41. συνεφάγομεν, καὶ συνεπίο-

(*a*) Luc. XXIV. 43.

μεν ἀυτῷ μετὰ τὸ ἀναξῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν.

Secundò, affirmat *Clemens*, fuisse postea nonnullos, qui Dominum nostrum δοκήσει, *specie solâ*, seu *phantasmate* apparuisse putârunt. *Docetas* intelligit, sive *Phantasiastas*, qui Christum non verâ carne indutum, sed solâ specie natum passumque esse docuerunt, quorum Princeps erat *Julius Cassianus*, Valentini discipulus, ὁ τῆς Δοκήσεως ἐξάρχων *Clementi* (*a*) dictus. Ab his se non distinguit modò, sed longè alienus erat *Clemens* noster, nec hoc loco meminisset, nisi occasione verborum, quæ immediatè præcesserunt. *Clementem* enim *Docetam* fuisse, vel paria cum iis sensisse, quis unquam crederet, cum illorum Sectam ubique oppugnat & exagitat, eosque Hæreticis semper accenset? Quid? quod sexcentis locis τὸ λόγε σάρκωσιν, & in carnem adventum prædicat, τὸν λόγον

(*a*) *Strom.* l. 3. p. 465.

σαρκόφορον

σαρκόφορον vocat, τὸν σάρκα ἐμπαθῆ φύσει γενομένον susceptisse, mortuum denique, crucique affixum fuisse dicit. Videat itaque *Clericus* (a), quo animo, quâ fronte Catechisten nostrum *Alexandrinum* hac occasione ludibrio habet, & *Docetis Alexandrinis* irridendum exponit; denique interrogat, *quid hisce querelis* Caveus *respondere posset?*

Tertium, quod affirmat *Clemens* est, Dominum nostrum *omnis prorsus passionis expertem fuisse, neque ipsum ullum κίνημα παθητικὸν, neque voluptatem, neque tristitiam subiisse:* Hæc verba si strictè & ῥητῶς accipiantur, longè absurdissima sunt, & plane falsa. Quis enim, qui vel summis labris Historiam Evangelicam degustaverit, nescire potest, Christum χαίρειν, ἀγαλλιᾶσθαι τῷ πνεύματι, δακρύειν, ταράσσειν τῷ πνεύματι, λυπεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν, *animamque ejus* περίλυπον *undequâque usque ad mortem tristem fuisse?* Quis Cle-

(a) Ep. V. p. 173.

mentem nostrum hæc nunquam legisse dicet, imò Novum Testamentum ne semel inspexisse? nisi ipsum pro bardo & stipite, pro fungo fatuoque haberi velit. Verba igitur ad simplicem & integram, quam Dominus assumpsit, naturam, potius referenda sunt. Christus enim unà cum naturâ nostrâ suscepit τὰ ἀδιάβλητα πάθη, καὶ φυσικὰ, ut à Patribus Græcis vocari solent, *Passiones naturales, miniméque vituperandas*. Habuit affectus naturæ humanæ congruentes, sed nullâ vel orginalis, vel actualis peccati labe contaminatos, quos summo perfectæ rationis, sapientiæ, ac virtutis moderamine semper regebat. Hæc disertè Patres, tum Græci, tum Latini. Unum instar omnium dabo *Basilium* (*a*), Ὅθεν φαίνεται ὁ Κύριος, τὰ μὲν φυσικὰ πάθη παραδεξάμενος, εἰς βεβαίωσιν τῆς ἀληθινῆς καὶ οὐ κατὰ φαντασίαν, ἐνανθρωπήσεως· τὰ δὲ ἀπὸ κακίας πάθη, ὅσα τὸ καθαρὸν τῆς ζωῆς ἡμῶν ἐπιῤῥυπαίνει, ταῦτα ὡς ἀνάξια

(*a*) Ep. LXV p. 105.

τῆς

τῆς ἀχραάντε θεότητος ἀπωσάμενος. Διὰ τοῦτο εἴρηται, ἐν ὁμοιώματι γεγενῆσθαι σαρκὸς ἁμαρτίας· ἡ γὰρ ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς, ὡς τύποις δοκεῖ, ἀλλ' ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας. ὥστε σάρκα μὲν τὴν ἡμετέραν ἀνέλαβεν, μετὰ τῶν φυσικῶν αὐτῆς παθῶν. ἁμαρτίαν δὲ οὐκ ἐποίησεν. *Apparet Dominum naturales passiones assumpsisse, ad confirmandam veræ, & non phantasticæ incarnationis fidem. Quæ autem ex peccato existunt passiones, quibus vitæ nostræ integritas inficitur, eas tanquam immaculatâ Deitate indignas repudiâsse. Ideo Scriptum esse ab Apostolo,* in similitudine carnis peccati natum esse. *Non enim in similitudine carnis, ut his videtur, sed in similitudine carnis peccati. Quapropter carnem nostram cum naturalibus ipsius affectibus induit, peccatum autem non fecit.* Hinc Apostolus (*a*), *debuit per omnia fratribus similis fieri, ut posset* συμπαθῆσαι ταῖς ἀδενείαις ἡμῶν, πεπειρασμένος δὲ κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα, χωρὶς

(*a*) Hebr. II. 17. IV. 15.

ἁμαρτίας

ἁμαρτίας, *affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum fuisse in omnibus similiter, absque tamen peccato.* Inerant itaque Christo affectiones naturæ humanæ convenientes, sed sanctæ, puræ immaculatâ; flevit, doluit, tristatus, lætatus est, aliasque naturæ nostræ infirmitates suscepit, & sensit, sed absque vel leviſſimâ ἀπαθείᾳ, quæque nullos perturbatos aut vitiosos effectus producebant, qui in nobis ex istiusmodi casibus oriri solent. Et hanc certè *Clementis* fuisse sententiam, ea quæ de Apostolis, verbis proximè sequentibus habet (*a*), luculentèr ostendunt: Eos nimirùm non prorsus affectibus vacuos fuisse, sed iram, & metum, & cupiditatem per dominicam doctrinam ex uberiori quâdam cognitione superâsse, & in ἕξει ἀπαθείας permansisse. In sequentibus (*b*), ut & in toto hoc libro sexto, quo perfecti hominis ideam tradit, Gnosticum suum ita depingit, ut qui ad perfectam Magistri sui imagi-

(a) *Strom.* l. 6. p. 550. (*b*) Ibid.

nem

nem ſe totum componere conatur, idque τῇ ἐξ ἀσκήσεως ἕξει, *per habitum, qui procedit exercitatione*; magnâque vi contendit (*a*) εἰς ἀπάθειαν, Domino ſuo ἐξομοιῶθαι; ut eximatur ἀπὸ παντὸς ψυχικοῦ πάθους, *à quâvis animæ affectione ac perturbatione*. Et gradatim quidem in procedit, ἡ μὲν γὰρ γνῶσις, σωάσκησιν· ἡ σωάσκησις δὲ, ἕξιν· ἡ δὲ διάθεσιν· ἡ κάλασις δὲ ἡ τοιάδε, ἀπάθειαν ἐργάζεται, ἡ μετριοπάθειαν· ἀπάθειαν δὲ καρπεῖται παντελὴς τῶν ἐπιθυμίας ἐκκοπή. *Cognitio efficit exercitationem*; *exercitatio autem habitum ſive conſtitutionem*; *ejuſmodi autem conſtitutio efficit alienum à paſſionibus habitum, non* [meram] *animi motuum moderationem. Fruitur autem tali habitu perfecta & abſoluta amputatio cupiditatis*. (*b*) Δεῖ τὸν ὄντα ἀρχικὸν εἶναι καὶ ἡγεμονικὸν τὸν βασιλικήν τε καὶ χριστιανὸν· ἐπεὶ μὴ τῶν ἔξω μόνων θηρίων καλαυροῦσθαι ἐτάγημεν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐν ἡμῖν αὐτοῖς ἀγρίων παθῶν. *Revera oportet eum, qui regalis eſt, & Chriſtianus, principatum poſſe obtine-*

(*a*) Ibid. p. 651. (*b*) Ibid. p. 671.

re

re & præesse. Neque enim solum constituti sumus, ut dominaremur iis solis, quæ foris sunt, bestiis, sed etiam agrestibus, quæ sunt in nobis ipsis, animi perturbationibus. Ex his aliisque pluribus, quæ addi poterant, liquèt, ἀπάθειαν, quam tantoperè commendat *Clemens*, non in absolutâ affectuum naturalium abolitione, sed in vitiosarum passionum subjugatione & victoriâ consistere. In *Stoicorum* disciplinam propensiorem fuisse *Clementem*, Viro erudito (*a*) facile largior; hinc nata ei Stoicorum vocabula, variique, quibus utitur, loquendi modi, ut illorum placitis quam proximè accedere videretur. Quid? quod ipsi Stoici, quicquid de *Sapiente suo*, ejusque ἀπαθείᾳ splendidè & magnificè gloriari solent, non existimârunt omnem se rerum externarum sensum, & affectum deposuisse, non voluptatis doloríve penitùs esse expertes, sed tantùm omni nisu in id incumbere, ut perturbatos animi motus compescerent, & ad consum-

(*a*) Ep. I. p. 21.

matæ

matæ rationis & virtutis normam reducerent. Ita quidem *Seneca*, ipse è Stoicorum Secta, neque infimi subsellij, nos docet (a). *Est omnibus externis potentior. Nec hoc dico, non sentit illa, sed vincit.* Alibique (b), *hoc inter nos & illos* (Stilponem, ejusque assedas) *interest. Noster Sapiens vincit quidem incommodum omne, sed sentit : illorum, ne sentit quidem.* Hæc sunt, quæ de perplexo hoc *Clementis* loco dicenda habui, quibus siquis calculum suum apposuerit, satis mihi erit ; sin secus, quisque per me licet, judicio fruatur suo. Observare quidem licet *Hilarium* lib. 10. *de Trinitate* in eâdem cum *Clementi* sententiâ fuisse, Christum nempè dolori, metui, tristitiæ, & ejusmodi passionibus naturalibus non fuisse obnoxium. Ad *Hilarium* ab hoc errore liberandum multa excogitârunt veteres, multa recentiores ; plura collegit Petavius, *Theolog. Dogmat.* Tom. IV. l. 10. c. 5. plura Monachi Bene-

(a) *De Provid.* c. 2. p. 184. (b) Ep. IX. p. 19.

dictini

dictini in Prolegominis ad novam *Hilarij* editionem, quæ ad hanc *Clementis* sententiam illustrandam apprimè conferent.

A *Clemente* ad *Eusebium* pergit noster, pro cujus Arianismo tanquam pro aris & focis pugnat. Undè verò me hâc in parte in dissimulationis argumentum trahat, haud facile video. *Eusebium* fictis falsisve coloribus nunquam delineavi, nihil prudens scienſve suppressi, quod ad causam ejus elucidandam conducere potuit. Conceptis verbis plusquam semel iterumque affirmavi, ‘ non mihi in animo fuisse, ‘ *Eusebium* ab omni labe purgare; è ‘ contra plus simplici vice me testatum ‘ esse, multa scriptis ejus inesse incautiùs, duriùs, periculosiùs dicta, quæ ‘ æquum & candidum lectorem expetunt; insolentes quandoque, & incommodas reperiri loquendi formulas, à receptis Theologorum regulis ‘ abhorrentes, hasque me nec probare, ‘ nec defendere. Nec mirari debere ‘ quenquam, qui secum in animo re-

‘ putaverit,

' putaverit, *Eusebium* in Platonicorum
' scriptis, libriſque Origenis multùm
' diuque verſatum, exinde nova quæ-
' dam hauſiſſe, & phraſes minùs com-
' modas, quandoque & periculoſas, in
' Chriſtianam Theologiam induxiſſe:
' quod tamen illi cum multis præteri-
' torum ſæculorum Doctoribus com-
' mune fuit, ſecuriùs & audaciùs ni-
' mis de ijs locutis, de quibus non-
' dum ſuum Eccleſia tulerat judicium.
Satis mihi erat, neque aliud in animo habui, oſtendere, *Euſebium* κενοφωνίαις Arianorum δόξαις non fuiſſe imbutum; quin in ſcriptis ejus ſupereſſe plurima, quæ ipſa Arianiſmi fundamenta radicitùs evellunt. Et hoc me abundè præſtitiſſe ſpero, poſitis quinque *Theſibus Anti-Arianis*, de primariis iſtius ſectæ capitibus, quas plurimis, iiſque diſertiſſimis *Euſebij* teſtimoniis & argumentis expoſui & confirmavi; præmiſſis duabus regulis, tum à veteribus, tum a recentioribus conceſſis, ad quas duriora *Euſebij* dicta illuſtrari & explicari poſſunt. Quæ quidem omnia ne extremo digito tetigit noſter, etſi

unica

unica totius *Dissertationis* basis sint, & fundamentum.

Nihilominus ut causam *Eusebianam* adhuc tueatur, ad duo provocat Concilia, *Nicænum* I. & II. Ad illud, ut *Eusebij* subscriptionem cum Arianorum sententiâ conciliaret; ad hoc, ut istorum Nicænorum testimonio Eusebium Arianum esse persuaderet. In Nicæno I. *Eusebius* fidei suæ formulam, à majoribus acceptam, Patribus obtulit. Hæc erat communis illa Fidei professio, quæ in Ecclesia *Cæsarienſi* usurpata fuerat; ut unaquæque ferè Ecclesia temporibus Ante-Nicænis proprium habuit Symbolum, verbis quandoque diversum, sensu congruum. Hanc formulam se ab Episcopis antecessoribus suis accepisse testatur *Eusebius*, hâc se initiatum, cum cœlesti lavacro tingeretur. Nec alia sine dubio erat, quam ad thronum *Cæsarienſem* recens promotus, tanquam Fidei suæ tesseram ad alios Communionis Catholicæ Episcopos miserat, pro more istorum seculorum, quo Episcopi nupèr ordinati fidei

fidei suæ professionem ad viciniores, imò ad omnes Majorum sedium Præsules mittere solebant. Hanc *Eusebij* formulam Concilio oblatam, suffragante etiam Synodo, ὀρθόταλα περιέχειν, *rectam fidei doctrinam continere* publicè testatus est *Constantius* Imperator. In hâc, Iesum Christum esse τὸν τῦ Θεῦ λόγον, Θεὸν ἐκ Θεῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, ζωὴν ἐκ ζωῆς, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τῦ πατρὸς γεγεννημένον, se credere professus est. Quid ad hæc noster? *nihil in his esse* ait (*a*), *quod Ariani facile non comprobarent.* At verò Arianos Iesum Christum *Deum de Deo, Lumen de Lumine, Vitam ex Vitâ, ante omnia secula ex Deo Patre genitum* dixisse, *Eusebio* adhuc in vivis agente, nusquam me legisse memini: utcunque posteà ad declinandam invidiam, in publicis formulis has voces fraudulenter usurparent; Filium scilicet non alio sensu *ex Deo esse*, quam reliquas Creaturas affirmantes, quod non uno

(*a*) Epist. II. p. 38.

loco apertè nos docet *Athanasius*. *Vid. de Synod. Arim. & Sel. p.*674,701,709. alibique non semel. Dixisse *Arianos*, Filium ante omnia secula genitum, non eo inficias; sed sensu plane doloso, & fraudulento, fatente ipsomet Viro Erudito (*a*), *Arianos* his vocibus nihil aliud voluisse, *quàm quod crederent Filium à Deo procreatum fuisse, antequam seculis, hoc est, ætati mundi initium fieret; quod tum demum contigit, cum à Filio mundus creari cæpit*; quà de re fusè dixi in *Dissert. Thesi* V. Verùm an hoc etiam sensu *Eusebius* noster? Nequaquam. Plura, eaque disertissima de Filij æternitate testimonia, ex *Eusebij* scriptis eâdem *Thesi* in medium protuli; nullis fidiculis in deteriorem sensum detorquenda, nullo Sophismate eludenda. Sed de his infra pluribus agemus.

In Epistolâ *de Fide suâ ad Cæsarienses* refert *Eusebius*, quòd cum quæstio

---

(*b*) Epist. II. p. 38.

in

in Synodo de τῷ ὁμοουσίῳ, aliiſque quibuſdam vocibus verteretur, ſe non niſi poſt longum inſtitutum examen, & ſingulas voces accuratè excuſſas, Nicæno Symbolo conſenſiſſe. Sed has omnes voces, totamque *Euſebij* declarationem ad Arianorum ſententiam flecti poſſe contendit noſter; neque criticæ ſuæ facultati hîc deeſt, ut oſtendat, voces & explicationes Euſebianas, *Ariani* ſenſûs capaces eſſe. Fatendum eſt, *Euſebium* modum ſibimet ſingularem in explicandis quibuſdam Fidei Articulis quandoque adhibere, neque ſemper iiſdem vocabulis, quibus uti ſolent alij, mentem ſuam expromere. Quid mirum igitur, ſi acuto & ſubtili ingenio Vir, qualis noſter eſt, refigere, flectere, & in ſenſum à mente Auctoris alienum, pertrahere poſſit? cùm interìm conſtat, has *Euſebij* expoſitiones Catholico ſenſu intelligi poſſe, & ab omnibus penè Eruditis hucuſque intellectas fuiſſe. Verùm de his paulò enucleatiùs agendum eſt. Ante omnia igitur notandum, *Arianos* in dogmatibus ſuis explicandis varias, prout

res tulit, voces & loquutiones adhibuisse, sono quidem cum Catholicis convenientes, sensu plane diversas. Exempli gratia.

1. Fatebantur *Ariani*, Filium non modò Deum esse, sed & *Verum Deum*. An sensu Catholico? Audiamus eos semet interpretantes apud *Athanasium* (a), εἰ ὃ ἐξ Θεὸν ἀληθινὸν λέγουσι τὸν υἱὸν, ὃ λυπεῖ ἡμᾶς· γενόμενος γὰρ ἀληθινὸς θεὸς· αὕτη τοῦ Ἀρειανῶν ἡ ἐφθαρμένη διάνοια. *Quid si etiam verum Deum, Filium nuncupant, id & nos quoque non malè habet, quoniam verus factus est Deus. Hæc Arianorum corrupta & pernicioſa mens.* An verò hoc sensu *Eusebius?* Apage. Agnoscit Filium Deum verum, Θεὸν ἐσίᾳ ἐξ δυνάμει ὑφεστῶτα, τῇ φύσει Θεὸν, imò αὐτόθεον. Quod nemo nescit, qui ejus opera semel inspexerit, quodque nos innumeris locis ex illius scriptis probatum dedimus *Dissert.* Thesi I.

(a) Ep. ad Afr. p. 721.

2. Affir-

2. Affirmabant Catholici, affirmabant & *Ariani*, Chriſtum Filium Dei eſſe unigenitum. Per hoc verò nihil aliud volebant *Ariani*, teſte *Athanaſio* (a), quàm ita dici, ὅτι μόνῳ μὲν αὐτὸς ἐκ τοῦ μόνου τοῦ Θεοῦ γέγονε· τὰ δ' ἄλλα πάντα διὰ τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ υἱοῦ ἐκτίσθη. *Eò quòd unus ille à ſolo Deo conditus ſit; cætera verò omnia à Deo per Filium creata ſint.* Quam longe ab his abit *Euſebius*, *Theſis Secunda & Tertia* in *Diſſertatione* luculentiſſimè docebit.

3. Confeſſi ſunt *Ariani* Filium *ex Deo eſſe* (b), ſed non alio ſenſu, quàm quo reliqua omnia *ex Deo* ſunt, τὸ δὲ, ἐν αὐτῷ, ὅτι ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμεν. *Jam quod ad illud dictum pertinet, quo Filius* in eo, hoc eſt, *in Deo eſſe dicitur, ſcriptum eſſe, & nos in eo ſumus, & vivimus, & movemur.* Nec aliter *Euſebius Nicomedienſis* Epiſtola (c) ad *Paulinum*, *ſcimus ſcripturam non de illo ſolo dicere, quod genitus*

(a) *De Decret. Syn. Nicæn.* p. 405. (b) Id. ibid. p. 418. *Vid. de Synod. Arim.* p. 673, 709. *Ep. ad Afr.*
(c) *Ap. Theod.* l. 1. c. 6. p. 22.

ſit ; ἀλλὰ κὴ ὅτι τῶν ἀνομοίων αὐτῷ κατὰ πάντα τὴν φύσει, *ſed etiam de aliis, quæ naturâ prorſus ab illo diſcrepant* —— πάντα γὰρ ἐκ τοῦ Θεοῦ, *Omnia enim ex Deo.* An ita *Euſebius* ? Legantur prædictæ Theſes, & res manifeſta fiet. Omnia enim hùc tranſcribere, nec vacat, nec lubet. Filium à Deo verè genitum eſſe diſertè fatetur *Euſebius Nicomedienſis* loco citato, ἀλλ' οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ, *ſed non ex ejus ſubſtantiâ*, εἰ γὰρ ἐξ αὐτοῦ, τοῦτ' ἔξιν ἀπ' αὐτοῦ ἂν, ὡς ἂν μέρος αὐτοῦ, ἢ ἐξ ἀποῤῥοίας τῆς οὐσίας, οὐκ ἂν ἔτι κτιστὸν, οὐδὲ Σεμελιωτὸν εἰ ἐλέγετο. *Quod ſi* ex ipſo, *hoc eſſet*, de ipſo *eſſet*, *tanquam pars ejus, vel ex defluxu ſubſtantiæ, non jam creatus, nec fundatus ampliùs diceretur.*

Hæc ut rectiùs intelligantur, ſciendum eſt, cum Catholici filium ὁμοούσιον, & ex paternâ ſubſtantiâ genitum eſſe prædicârent, projeciſſe in vulgus Arianos, quaſi docerent Catholici, Filium ex ſubſtantiâ Patris, tanquam partem, diviſione, vel abſciſſione, modo quodam corporeo, profluxiſſe. Liquet id

id tum ex hâc Nicomediensis, tum ex *Arij* ad ipsum Nicomediensem Epistolâ (*a*), ubi de Catholicis quibusdam Episcopis agens, ait, τῶν τὸν υἱὸν λεγόντων, οἱ μὲν ἐρυγὴν. οἱ δὲ, προβολὴν· οἱ δὲ συναγέννητον, *Filium esse dicunt, alter eructationem, alter projectionem, alter coingenitum:* semper se professurum, ὅτι ὁ υἱὸς οὐκ ἔστιν ἀγέννητος, οὐδὲ μέρος ἀγεννήτου κατ' οὐδένα τρόπον, οὐδὲ ἐξ ὑποκειμένου τινὸς, *Filium non esse ingenitum, nec partem ingeniti ullo modo, neque ex aliqua subjecta materia?* subditque, persecutionem se propterea pati (ab *Alexandro* nempè, aliisque Catholicis Episcopis) quòd dixerit, ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐστὶν· οὕτως δὲ εἴπαμεν, καθότι οὐ δὲ μέρος Θεοῦ ἐστὶν, οὐ δὲ ἐξ ὑποκειμένου τινὸς· διὰ τοῦτο διωκόμεθα, *quod erat ex non extantibus. Quod ideò diximus, quia nec pars Dei est, nec ex ullâ subjectâ materiâ. Ob id exagitamur.* Hinc manifestum est, Arianos (sed fraudulentèr ut solent alia) Catholicis obje-

(a) *Ap. Theod.* ib. c. 5. p. 21.

cisse, quod crederent Filium divisione, sive abscissione quâdam paternæ substantiæ partem esse. Et certè hæc falsa criminatio in quorundam primorum istius temporis Virorum adeo altas radices egerat, ut non facile inde divelli potuit. Quod & *Eusebio* nostro contigit, qui idcircò diu multumque hâc de re in Synodo *Nicænâ* disputavit, donec remoto obstaculo, & mente Sanctorum Patrum ritè explicatâ, manus mox dedit. Ita ipse in Epistolâ suâ nos docet. *Hinc igitur* (nempe de vocabulo τοῦ ὁμοουσίου) *quæstiones ortæ sunt, & responsiones, & quænam esset eorum verborum sententia, accuratè expendebatur* (a). Καὶ δὴ καὶ τὸ, ἐκ τῆς οὐσίας, ὡμολόγητο πρὸς αὐτῶν, δηλωτικὸν εἶναι, τοῦ ἐκ μὲν τοῦ πατρὸς εἶναι, οὐ μὴν ὡς μέρος ὑπάρχειν τοῦ πατρὸς· ταῦτα δὴ καὶ ἡμῖν ἐδόκει καλῶς ἔχειν συγκατατίθεσθαι τῇ διανοίᾳ τῆς εὐσεβοῦς διδασκαλίας, ὑπαγορευούσης ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι τὸν υἱὸν, οὐ μὴν μέρος τῆς οὐσίας αὐτοῦ τυγ-

(a) *Ap. Socr.* l. 1. c. 8. p. 26.

χάνειν.

χάνειν· διόπερ τῇ διανοίᾳ καὶ αὐτοὶ συντιθέμεθα, οὐδὲ τὴν φωνὴν τοῦ ὁμοουσίου παραιτούμενοι, τοῦ τῆς εἰρήνης σκοποῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἡμῖν κειμένου, καὶ τοῦ μὴ τῆς ὀρθῆς ἐκπεσεῖν διανοίας. *Et has quidem voces* ex substantia, *fassi sunt hoc significare, Filium quidem esse ex Patre, sed non tanquam partem ipsius Patris. Hunc sensum ut nos quoque amplecteremur, æquum omnino videbatur, cum pia doctrina prædicet, Filium ex Patre esse, non tamen partem esse illius substantiæ. Quamobrem & nos quoque huic notioni assensum præbemus. Ac ne ipsam quidem vocem* Consubstantialis *rejicimus, pacis intuitu, & ne à recto sensu excideremus.*

Videat jam æquus Lector, quâ fronte *Clericus* hæc *Eusebij* dicta in Arianæ impietatis sensum pertrahat; dicatque (*a*), *hæc omnia clarè ostendere* Eusebium *minimè assensum præbuisse* τῷ ὁμοουσίῳ, *prout ea voce significatur*

(*a*) Ep. II. p. 41.

naturæ

naturæ perfectæ paritas; cum in sequentibus mentem suam satis explicaverit *Eusebius*, Filij Consubstantialitatem non juxta corporum modum, neque instar mortalium animantium accipi debere. οὔτε γὰρ κατὰ διαίρεσιν τῆς οὐσίας, οὔτε κατὰ ἀποτομὴν, ἢ ἀλλοίωσιν τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας τε καὶ δυνάμεως, *nam neque per divisionem substantiæ, neque per abscissionem, nec per mutationem paternæ essentiæ atque virtutis id posse constat*; παραστατικὸν δὲ εἶναι τῷ πατρὶ τὸ ὁμοούσιον, τὸ μηδεμίαν ἐμφέρειαν πρὸς τὰ γεννητὰ κτίσματα, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐμφαίνειν. μόνῳ δὲ τῷ πατρὶ τῷ γεγεννηκότι κατὰ πάντα τρόπον ἀφομοιῶσθαι, καὶ μὴ εἶναι ἐξ ἑτέρας τε ὑποστάσεως, καὶ οὐσίας, ἀλλ' ἐκ τοῦ πατρὸς· ᾧ καὶ αὐτῷ τοῦτον ἑρμηνευθέντι τὸν τρόπον, καλῶς ἔχειν ἐφάνη συνκαταθέσθαι. Ἐπεὶ καὶ τῶν παλαιῶν, &c. *Verùm hoc Consubstantialem esse Patri, nihil aliud significare, quam Filium Dei nullam cum creaturis* ab ipso factis similitudinem habere; *sed solius Patris, à quo genitus sit, per omnia similem esse; nec ex aliâ quadam Hypostasi, aut substantiâ, sed ex Patre esse.*

esse. Quod quidem cum ita expositum fuisset, jure merito approbandum esse censuimus: quandoquidem nonnullos ex Veteribus insignes Episcopos & disertos scriptores in explicandâ Patris ac Filij divinitate hoc vocabulo Consubstantialis usos esse cognovimus. Quod si Filius *non ex aliâ hypostasi aut substantia, quam paternâ genitus sit, eandem cum Patre substantiam habere necesse est.* Et utrum hoc non liquidò ostendat, *Eusebium* τὸ ὁμοούσιον sensu Catholico & Nicæno agnovisse, judicent, qui à partium studio alieni sunt. Quàm vero parùm ingenuè ex altero *Eusebij* in hac Epistolâ loco, ubi de vocibus *genitus, non factus*, agens habet, κοινὸν ἔφασκον εἶναι τὸ ῥῆμα τῶν λοιπῶν κτισμάτων, *verbum factum commune esse dicebat reliquis omnibus creaturis, quæ per Filium factæ sunt*; quàm parùm, inquam, ingenuè ex his Vir Eruditus (*a*), *Eusebium*, Filium in numero creaturarum censuisse, quivis facile videt, nec alius

(*a*) Ep. II. p. 44.

forsan

forſan exculpſiſſet. Quàm longè à mente *Euſebij* abit, non hic modò, ſed & alibi, ipſe *Euſebius* diſertiſſimè docet (*a.*) Ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ Θεοῦ μόνος αὐτὸς, καὶ ὢν ὃ ἄλλῳ ἀνηγορεύεταί τε καὶ ἔστιν· Ὅθεν εἰκότως ἄν τις μέμψαιτο τοῖς κτίσμα αὐτὸν φάναι τολμηκόσιν, ἐξ οὐκ ὄντων αὐτὸν ὁμοίως τοῖς λοιποῖς κτίσμασι γινόμενον· καὶ πῶς γὰρ ἔτι ἔσται υἱός; πῶς δὲ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ, ὁ τῷ αὐτῷ τοῖς λοιποῖς κτίσμασιν ὑπηγορευόμενος φύσιν—— ἀλλ' οὐκ ὧδε περὶ αὐτοῦ τὰ Θεῖα παραδίδωσι λόγια. *Unigenitus Dei Filius, ſolus ipſe & non alius, & prædicatur & eſt. Unde meritò quis reprehenderit eos, qui creaturam illum dicere non dubitârunt, ex nihilo conditum, perinde ac reliquas creaturas. Quomodò enim Filius fuerit, quomodo Unigenitus Dei, ſi eandem cum cæteris creaturis naturam ſortitus eſt. Verùm Divina Oracula non ita de illo prædicant.* Hæc & plura profert *Socrates* (*b*) ex eo ipſo opere *Euſebiano de Eccleſiaſticâ Theologiâ*, διὰ τὰς

(*a*) *De Eccl. Theol.* l. 1. c. 8, 9. p. 66. (*b*) L. 2. c. 21. p. 103.

μάτην

μάτων ἐρεσχελοῦντας, καὶ βλασφημεῖν τὸν ἄνδρα ἐπιχειρήσαντας, *propter eos, qui frustrà illum criminari & traducere conantur.* Perstringit loco citato Arianos Eusebius, etsi eos non nominaverit; de quibus etiam cap. sequenti (*a*) hæc habet, οἱ δὲ δύο δόντες ὑποστάσεις, τὸν μὲν ἀγέννητον, τὸν δὲ ἐξ οὐκ ὄντων κτισθεῖσαν, ἕνα μὲν Θεὸν ὑφίστανται· ὁ δὲ υἱὸς οὐκ ἔτ' αὐτοῖς, οὐδὲ μονογενὴς ἔσται, οὐδὲ μὲν Κύριος, οὐδὲ Θεός· μηδὲν μὲν ἐπικοινωνῶν τῇ τοῦ πατρὸς θεότητι· τοῖς δὲ λοιποῖς κτίσμασι, καθ' ὃ ἐξ οὐκ ὄντων ὑπέστη, παραβαλλόμενος· ἀλλ' οὐχ οὕτως ἡ Ἐκκλησία· τὸν δὲ υἱὸν τοῦ Θεοῦ, Θεὸν καὶ Κύριον ἀνακηρύττει, καὶ ἀληθῶς υἱὸν εἶναι, καὶ Θεὸν διδάσκει. *Illi verò cum concedant Hypostases duas, unam ingenitam, creatam alteram de non existentibus, unum quidem substituunt Deum. At nullus interea illis Filius, non Unigenitus, non Dominus, non Deus: neque enim quicquam habet secundum eos cum paternâ divinitate commune: sed per omnia*

(*a*) Cap. 10.

com-

componitur cum creaturarum turbâ in hoc, quod de nihilo procreabatur. Sed non ad istum modum Ecclesia. Nam Filium Dei prædicat Deum Dominumque, verissimè Filium esse eum, atque Deum docet. Ne nimius sim, notabo tantùm conclusionem capitis præcedentis. Ὁ μετὰ ταύτας τὰς φωνὰς, γενητὸν ἐξ ἐκ ὄντων, καὶ κλίσμα προσημένον ἐκ τοῦ μὴ ὄντος τὸν υἱὸν ὁμολογούμενος, λέληθε τέκνωμα μὲν αὐτῷ μόνον χαριζόμενος· τὸ δ' ἀληθῶς υἱὸν εἶναι ἀρνούμενος. ὁ γὰρ ἐξ ἐκ ὄντων γεγονὼς, ἐκ ἂν ἀληθῶς γένοιτο υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὅτι μηδὲ ἄλλο τι τῶν γενητῶν. *Quisquis igitur post hæc testimonia, progenitum illum de non entibus, & ex non ente productam affirmaverit creaturam, istum Filium; nomen ei nudum tantummodo largiri deprehenditur, reverà autem Filium esse, pernegare. Nam qui de non existentibus generatus est, is certè Dei Filius esse revera nequit: non magis quam quidvis aliud creatum.* Sed pergamus paulisper cum Arianis nostris.

4. Affir-

4. Affirmabant Catholici Filium eſſe perfectiſſimam Patris ſui imaginem, juxta mentem Apoſtoli, qui illum vocat ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς; & εἰκόνα τοῦ Θεοῦ ἀοράτου, eò quòd divinæ naturæ perfectiones, quæ ex Patre velut ex origene profluunt, in Filio tanquam in ſpeculo & imagine exhibentur. Dicebant & Ariani Filium eſſe imaginem Dei, ſed alio ſenſu, & plane doloſo. Adeóque, teſte *Athanaſio* (a) cum Concilij Nicæni Patres Arianos interrogarent, utrùm dicerent Filium non eſſe creaturam, ἀλλὰ δυνάμιν, σοφίαν τὶ μόνων τοῦ παιδὸς, καὶ εἰκόνα, ἀΐδιόν τε καὶ ἀπαραλλακτον κατὰ πάντα τοῦ πατρὸς, καὶ Θεὸν ἀληθινὸν, *ſed virtutem, ſolamque ſapientiam, & imaginem Patris*, innuebant, *etiam hæc nobis convenire, καὶ γὰρ καὶ ἡμεῖς εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ λεγόμεθα, nam nos quoque imago & gloria Dei dicimur.* An ita *Euſebius?* Neutiquam. En ipſius verba (b), ὅτω

(a) *De Decret. Nic.* p. 416. *& ap. Theod.* l. 1. c. 8. p. 28. (b) *Dem. Evang.* l. 5. c. 4. p. 227.

πεφυκὼς

πεφυκὼς τὴν ὐσίαν, αὐτόθεν τε ἀπὸ πρώτης ὑπάρξεως φυσικὴν, ἀλλ' ἐκ ὀπτικτητον τὴν εἰκόνα τῆ πατρὸς ἐπαγόμενον. διὸ κ) φύσει Θεὸς ὁμῶ κ) μονογενὴς ὑὸς ὢν τυγχάνει, ἐχὶ ἢ ὁμοίως τοῖς ἔξωθεν εἰσποιηθεῖσιν, ὀπισυμβεβηκός τε τὸ ἀξίωμα τῆς τῦ Θεῦ προσηγορίας ἐπέχοσι. *Quum tali existat natura & essentia, indeque ex quo primum extitit, non acquisititiam, sed naturalem Patris imaginem refert. Quare idem naturâ Deus, & idem Unigenitus Filius existit; non autem ut illi, qui extrinsecus adsumuntur, adoptatus, quique adventitium divinæ appellationis honorem possident.* His germana habet in scriptis suis passim obvia.

Denique, asserebant Catholici Filium divinam naturam â Patre ab æterno accepisse. Fatebantur item Ariani Filium ἀπὸ χρόνων, κ) πρὸ αἰώνων, *ante omnia tempora & sæcula perfectum Deum substitisse.* Sed an communi Catholicorum sensu? Nihil minùs. Intelligebant nimirum eum ita extitisse, ἀλλὰ θελήματι κ) βουλῆ, ut loquitur *Arius* (a),

(a) *Ep. ad Euseb. Nic. ap. Theod. l. 1. c. 5. p. 21. & Ep. ad Alex. ap. Athan. de Synod. Arim. p. 687.*

salâ

solâ voluntate & consilio Dei; vel ut dicere solebat Asterius Cappadox, habuit ab æterno in mente suâ generandi scientiam, uti Medicus (*a*) ante datam medicinam, medendi tenet rationem. Filium dicebant πρὸ χρόνων fuisse, sed tum ἐν τοῖς χρόνοις διαστήματά τινα excogitabant, (strophas detegente (*b*) Athanasio) *spatia quædam, sive intervalla,* & in his fuisse tempus, cum nondum erat, καὶ ἀλογίαν περὶ τὸν Θεὸν εἰσάγοντες, μεγάλως ἀσεβοῦσιν, *atque ita de Deo absurde statuentes, mirum in modum se impios præbent.* Cum verò animi sui sententiam nudo capite proferebant, dicere veriti non sunt, οὐδὲ εἰ) ἀίδιον, ἢ συναίδιον, ἢ συναγέννητον τοῦ πατρὸς, οὐδὲ ἅμα τῷ πατρὶ τὸ εἶναι ἔχει, ὡς τινες λέγουσι, *neque illum æternum esse nec coæternum, aut coingenitum cum Patre, neque simul cum Patre essentiam nactum esse, ut quidam dicunt*, quemadmodùm loquuntur Presbyteri & Diaconi Ariani Epistolâ (*c*) ad Alexandrum Episcopum suum.

(*a*) *ap. Ath.* ib. p. 685. (*b*) *Contra Arian.* l. 2. p. 145. (*c*) *Ext. ap. Ath. ubi supra*, p. 682.

Quid jam de his *Euſebius* noſter? diſertiſſimis verbis æternitatem Filij ubique adſtruit, iiſdem hâc in re vocabulis uſus, quibus in exprimendâ Filij æternitate, & Sacræ Literæ, & Catholici Patres uti ſolent, idque etiam argumentis invictiſſimis confirmat, ut *Theſi ultimâ* abundè demonſtravimus. Ut tandem ad pauca redeam; in ipſâ Diſſertatione quinque *Theſes Anti-Arianas* in medio propoſui; videlicet, *Dominum noſtrum præter humanam, quâ carne indutus erat, naturam habuiſſe ut Dei Filium, revera divinam; divinam hanc naturam Patrem ingenitum Filio ſuo dediſſe & communicâſſe; hanc eſſentiæ divinæ communicationem in S. Scripturâ, Sanctiſque Patribus, Filij generationem dici; eſſentiam divinam, quam Pater cum Filio communicat, ejuſdem eſſe naturæ cum ſubſtantiâ Patris; divinam eſſentiam Patrem cum Filio ſuo communicâſſe ab æterno.* Hæc *Euſebium* ſentire, his penitùs conſentire, innumeris luculentiſſimiſque teſtimoniis, ex ſcriptis ejus undique petitis, liquidò comprobavi. Quòd ſi his non obſtan-

tibus, quæ in Synodo Nicænâ protulit *Euſebius*, Arianam impietatem ſapere cenſenda ſint, dicendum erit, ipſum nec ſecum conſiſtere, nec ſanum ſinciput habuiſſe: quod ab omni plane ratione abhorret. Etiamſi verò hæc omnia parum valerent, duo tamen ex hac Epiſtolâ *Euſebianâ* manifeſta ſunt, ipſâ luce clariora, quæ ad aſtruendam ſententiam meam oppidò ſufficerent.

Primò, *Euſebium* Filium Patri ὁμοούσιον, ἢ μὴ εἰ) ἐξ ἑτέρας τε ὑποστάσεως ἢ οὐσίας, ἀλλὰ ἐκ τοῦ πατρὸς, *neque ex aliâ quadam hypoſtaſi aut ſubſtantia, ſed ex Patre eſſe*, in conſpectu totius concilij diſertè agnoviſſe; & ſub Anathemate damnâſſe omnes qui affirmant ἦν ποτὲ ὅτε οὐκ ἦν, ἢ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, ἢ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶ), ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, *fuiſſe aliquando tempus cum non eſſet, & antequam gigneretur non fuiſſe, vel quòd ex non extantibus factus ſit; aut qui ex alterâ ſubſtantiâ vel eſſentiâ Fili-*

um Dei eſſe dicunt ; *aut creatum* , *converſioni mutationique obnoxium.* Denique Symbolum Nicænum manus ſuæ ſubſcriptione roborâſſe. Sed regerit noſter (*a*), vafrè hæc, & verſutè ab *Euſebio* facta : ipſum nempè *non alio ſenſu ſubſcripſiſſe Symbolum, quàm qui optimè ſtet cum priſtinâ ſuâ, hoc eſt, cum Arianorum ſententiâ , boniſque Patribus hoc dolo fucum* (b) *feciſſe , utque Arianis ſuis oſtenderet* (c) *ſe ipſorum cauſam minimè prodidiſſe*, adeoque ὁμοούσιον *vocabulum pacis cauſâ , & ne in exilium pelleretur* (d) , *admiſiſſe.* Rationes quæris, factique probationes? nullæ ſunt ; leves tantum profert ſuſpitiunculas, & à *poſſe* ad *eſſe* argumentari ſolet, ſcilicet, ita facere potuit *Euſebius*, ita intelligere, ergo ita eum feciſſe, ita intellexiſſe exiſtimandum eſt. At vero taliſne tandem fuit *Euſebius*, qualem nobis exhibet *Clericus ?* Quis temerè credet Virum inculpatæ famæ, infucatæ pietatis, totius Eruditi Orbis

(*a*) Ep. II. p. 38, 45. (*b*) Ibid. p. 52. (*c*) Ibid. p. 50. (*d*) Ibid. p. 43.

vene-

veneratione dignum, quem in Sanctorum numerum retulit Occidentalis Eccleſia, adeò profligatâ & obduratâ fuiſſe conſcientiâ, tam parùm veritatis, juſtitiæ, æquitatis, pudoriſque retinentem, ut coram Imperatore, & in ſolenni Sanctorum Patrum conſeſſu, in re omnium graviſſimâ, aliud ore expromeret, aliud ſub pectore coqueret? Quin & non alio animo ad Concilium veniſſe, quàm ut conſutis dolis Patribus fucum faceret, & ludibrium præberet.—— *Credat Judæus apella, Non ego.* Ubi hujuſmodi inſtituitur accuſatio, certiſſimæ rationes, & evidentiſſimæ facti probationes in medium proferri debent.

Secundò, Conſtat Sanctos Concilij Patres doctrinâ, judicio, gravitate venerabiles, in hâc *Euſebij* declaratione acquieviſſe, nec litem ei hac in parte intentâſſe: cum niſi ſtipites planè fuerint, poſt tam longum, tam exactum examen, à vero ejus ſenſu haud facile errare potuerunt. Quid?

quòd *Athanaſius* (*a*) qui Synodo interfuit, teſtatur, *Euſebium* etſi pridiè formulam Nicænam reſpuiſſet, poſtridiè tamen *ſubſcripſiſſe, & agnoviſſe hanc eſſe Eccleſiæ fidem, Patrumque traditionem; ſeque hoc modo planè purgâſſe, etiamſi Arianos accuſaverit.* Alibique (*b*) ὃς ὁ μόνον ὑπέγραψεν ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ, ἀλλὰ καὶ δι' ὁπισολῆς ἐδήλωσε τοῖς ὑπ' αὐτὸν λαοῖς, ταύτῃ εἶ) πίστιν ἀληθῆ, τὴν ὁμολογηθεῖσαν ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ, *qui non ſolum Synodo Nicænæ ſubſcripſit, ſed per Epiſtolam populo ſuo ſignificavit, hanc eſſe veram Fidem, in quam in Synodo Nicænâ conſenſum fuit.* Sed innuit noſter (*c*), *Euſebium* hanc Epiſtolam non aliam ab cauſam ad *Cæſarienſes* ſuos miſiſſe, quàm ut doceret eos, ſe *non alio ſenſu ſubſcripſiſſe, quàm qui optimè ſtet cum priſtinâ ſuâ, hoc eſt, cum Arianorum ſententiâ.* Verùm unde liquet hoc *Euſebium* voluiſſe? vel

(a) *De Decret. Syn. Nic.* p. 402. *Vid. Ep. ad Afric* p. 721. (b) *De Syn. Arim. & Sel.* p. 679. (c) Ep. II. p. 38.

Cæſa-

Cæsarienses Arij impietate infectos fuisse? Fateor *Theodoritum* (*a*) dicere, scripsisse ipsum hanc Epistolam πρὸς τίνας τὰ Ἀρείου φρονοῦντας, προσδοσίαν, ὡς εἰκὸς, ἐγκαλοῦντας αὐτῷ, *ad quosdam Arianæ opinionis sectatores, qui ut opinari datur, proditionis eum insimulabant.* Verùm notandum est, referre hæc *Theodoritum*, non ex aliquo istius temporis scriptore, non ex aliorum relatione, sed ex propriâ tantùm conjecturâ, ὡς εἰκὸς, *ut videtur*; & pronior fortassè fuit in hanc conjecturam, quòd *Eusebium* ante Synodum Nicænam Ariano dogmati favisse existimavit. Sed aliam planè, & longè probabiliorem hujusce rei rationem reddit *Socrates* (b), καὶ τῷ ὑπ' αὐτὸν λαῷ ἔγγραφον τὸν ὅρον τῆς πίστεως διεπέμψατο. τὴν τοῦ Ὁμοουσίου λέξιν ἑρμηνεύσας, ἵνα μὴ δὲ ὅλως τὶς ὑπόνοιαν ἀνθ' ὧν ἐπέστησεν ἔχῃ περὶ αὐτοῦ. *Populo suo Cæsariensi conscriptam Fidei formulam misit, vocem Consubstantialis interpretatus, nè quis*

(*a*) L. 1. c. 11. p. 36. (*b*) L. 1. c. 8. p. 23.

sinistrum quidpiam de ipso suspicaretur, eò quòd aliquantulum subsitisset. Nempè, quod tamdiù in Synodo disputâsset, priusquam Symbolo assensum præbere voluit, nec nisi post vocabula controversa accuratè examinata, & exploratam Synodi sententiam, acquievisset. Demus tandem *Eusebium* in explicandâ sententiâ suâ voces quasdam usurpâsse, quas adversarij ejus in dubium, imo in deteriorem sensum pertrahebant, dubitari nequit, quin posteà mentem suam de his controversiis clariùs disertiúsque explicuerit: præcipuè in libro *Apologetico*, quem ad Orthodoxos omnes Episcopos misit, quo se purgavit & defendit, ostenditque, siqua unquam protulerit, aut scripserit, μικρὸν τι τῆς Ἀρείου νοσούσης, *Arij dogmata vel tantillum subolentia, non se ex impio sensu, sed ex minùs curiosâ, parumque sollicitâ simplicitate protulisse.* Talem enim Apologiam scripsisse *Eusebium*, expressè testatur *Gelasius* (a) *Cyzicenus*, qui in-

(a) *Hist. Conc. Nic.* l. 2. c. 1.

clinante

clinante ſeculo ſequenti claruit; & inter *Euſebij* opera recenſet Criticus noſter (*a*).

Ad laciniam quod attinet, quæ huic Epiſtolæ apud *Theodoritum* attexta reperitur, monueram, non injuſtè fraudis ſuſpicione laborare, eam nimirum ab *Ariani* vel hæretici cujuſdam manu in *Theodoriti* exemplar irrepſiſſe; addidique rationes, quæ me ita ſentirem, me moverent: quibus nihil refutatione dignum reponit Noſter (*b*). Notat præterea Eruditiſſimus *Bullus* (*c*), duplicem in hâc laciniâ interpretationem verborum Symboli Nicæni tradi, utramque planè abſurdam & ineptam, ac doctiſſimo *Euſebio* indignam; imò poſterius gloſſema, non modò ineptum eſſe, ſed etiam hæreticum, ac Filij æternitatem, quam diſertè & invictè tuetur *Euſebius*, penitus evertere. Et quamvis ad priorem hujus laciniæ par-

(a) *Vit. Euſeb.* p. 168. (b) *Vid.* Ep. 11. p. 47.
(c) *Defenſ. Fid. Nic.* c. 3. p. 379, 381.

tem

tem *Athanaſius* aliquando alludere videatur, vero non abſimile eſſe, corruptum Epiſtolæ *Euſebianæ* exemplar ipſi impoſuiſſe. Certè ut *Euſebij* eſſe credam, ægre à me impetrare poſſum, cum expreſſe ejus ſententiæ alibi declaratæ manifeſtiſſimè repugnat. Quid ? quòd ex priori hujus Perioches parte ſenſus commodus nullis fidiculis exculpi queat, qui vel cum Arianorum, vel Nicænorum Patrum ſententiâ convenit ; imò nec cum ipſius *Euſebij* mente in priori Epiſtolæ ſuæ parte, ubi examen inſtitutum, integramque de rebus controverſis diſputationem perfecte abſolviſſet. Certiſſimo argumento aſſumentum eſſe. Antequam hanc de Epiſtolâ *Euſebianâ* diſputationem claudam, non abs re erit, breviter inquirere, unde factum ſit, ut inter *Athanaſij* opera locum habeat. Repoſuerunt illam in *Tom.* I. noviſſimæ editionis Curatores, *Petrum Fleckmannum* hac in parte ſecuti, qui editionem Commelinianam *An.* 1601. adornavit, primuſque hanc Epiſtolam editis *Athanaſij* operibus inſeruit ; præter unicum

unicum *Basiliensem*, nullum Cod. MS. invenire potuit, quo inter opera *Athanasiana* reperta fuerit: alterum addidere Benedictini, in Bibliothecâ Regiâ Parisiensi: Cujus verò ætatis, quantíve pretij hi Codices sint, nos non docent. Unde Parisienses editores *An.* 1627. quamvis in cæteris editionem Commelinianam presso pede sequebantur, hanc tamen Epistolam excluserunt. Certè mihi videtur ab aliis adjecta, & ex *Theodoriti* Historiâ primùm deprompta. Verum ipsius *Athanasij* testimonio sententiam suam confirmare satagunt (*a*), unicâ *Fleckmanni* conjecturâ nixi. Frustrà quidem. Ipsa *Athanasij* verba hæc sunt (*b*); postquam dixisset *Eusebium* Epistolâ suâ *Arianos* accusâsse, sequitur, καὶ τοῦτο οἶδε καὶ ἀκάκιος· ἂν μὴ καὶ αὐτὸς φοβηθεὶς νῦν διὰ τὸ καιρὸν ὑποκρίνηται καὶ ἀρνήσηται τὴν ἀλήθειαν. ὑπέταξε γοῦν ἐν τῷ τέλει τὴν ἐπιστολὴν Εὐσεβίου· ἵνα ἐκ ταύ-

(a) *Admonit.* § X. p. 208. T. I. Ed. Nov. *Flecm.* T. II. p. 47. *Var. Lect.* p. 55. (b) *De Decret. Syn. Nic.* p. 403.

της γνῶς τῶν τε χριστομάχων, καὶ κατὰ περιττὸν τὴν ἀκακίου πρὸς τοὺς ἑαυτῶν διδασκάλους ἀγνωμοσύνην. *Et hoc ipsum scit Acacius, nisi & ille quoque nunc metu temporum id dissimulandum putet, veritatemque inficiari velit. Certe & is in fine subjunxit Epistolam Eusebij, unde eos & Christi perduelles videas, & in primis Acacij adversus præceptores suos stoliditatem deprehendas.* Hæc ut sententiæ suæ accommodarent, textui *Athanasiano* vim inferre necesse habent, ac proinde pro ὑπέταξε, substituunt ὑπέταξα; planè contra omnium Codd. MSS. fidem, non diffitente ipsomet *Flecmanno*, qui nec ipse textum mutare ausus est. Quin & totus ipse contextus, quicquid aliter sentiat *Flecmannus*, repugnat; disputat enim his verbis *Athanasius* adversus *Acacium*, ipsius *Eusebij* discipulum & successorem, inconstantis ingenij Virum, qui nunc cum Catholicis, nunc cum Arianis fecit, quique ad scripti alicujus sui calcem (multa enim, eaque ut videtur in Arianorum gratiam scripsit) hanc Magistri sui Epistolam subnexuerat, eoque

pacto

pacto stoliditatem adversus præceptores suos ostenderit, subjectâ nimirum *Eusebij* Epistolâ, quâ *Arianos* disertè damnaverat. Verbis in hunc sensum explicatis, commodè & perspicuè fluunt omnia. An verò rem acu tetigerim, Eruditiorum judicium esto.

Pergit deinde Noster (*a*) ad alterum Concilium Nicænum, ex cujus Actis, dictum quoddam *Eusebij*, gravissimi quidem momenti, & primâ fronte βλασφημάτιον desumpseram (*b*), ἐπεὶ καὶ αὐτὸς μὲν Θεὸς ὁ υἱὸς, ἀλλ' οὐκ ἀληθινὸς Θεὸς, *nam & ipse quidem Filius Deus est, sed non verus Deus.* Veram hujus sententiæ mentem in ipsâ *Dissertatione* pluribus indagatus sum, rectamque objectionis solutionem me reddidisse arbitror. Quam nè ex longinquo quidem tangit noster, sed profert tantùm plura & prolixiora Nicænorum testimonia, quibus argumenta sua contra *Eusebium* plenius de-

(*a*) Ibid. p. 53. (b) *Syn. Nic.* II. Act. VI. Col. 497.

ducunt

ducunt & confirmant ; quæ ſigillatim excutere neceſſe non eſt ; cum ſolutâ primariâ illa objectione, cætera vim nullam habent, & facile ſolvuntur.

Ne tamen adverſarium meum penitùs neglexiſſe videar, pauca hanc etiam in rem brevitèr notabo.

Primò, certiſſimum eſt, unicam penè cauſam, quæ atram Nicænorum in *Euſebium* bilem commovebat, fuiſſe, non tàm quod Arianiſmo faveret, quàm quòd imagines, earumque cultum, quem tam inſano ſtudio proſequebantur, invictis rationibus profligâſſet. Liquet id ex primâ *Euſebij* mentione *Act*. V. p. 365. ubi lecto ex. *Euſebij* ad Euphraſionem Epiſtolâ loco, ſtatim exclamârunt, *Chriſtianum hominem hæc non dicere, talem à Synodo non eſſe ſuſcipiendum*, imò *majori odio habendum, quam illos*, id eſt, quam Concilij *C. P.* Patres, qui ad exterminandas imagines *Euſebij* Epiſtolam ad *Conſtantiam Auguſtam* non ita pridèm allegaverant. Et *Act*. VI. p. 496. Lectâ hâc

hâc Epistolâ, iterum exclamârunt, quis nescit *Eusebium*, *hominem fuisse in reprobum sensum traditum, & eadem cum Arianis sapientem?* Hinc *Epiphanius* Diaconus *ibid.* p. 437. postquam ob Ariana dogmata acritèr in *Eusebium* invectus esset, subdit, οὐδὲ εἰκόνα δέχεσθαι, *neque imaginem illum suscipere.* Ex quibus liquet, non tàm illis curæ fuisse, *Eusebij* rationes, quæ refelli nequeunt, refutare, quàm infamiam ipsi ob Arianismi suspicionem creare, ejusque testimonium adversus imagines hac ratione irritum reddere.

Secundò, loca quæ ex *Eusebij* scriptis proferunt Nicæni, decurtata, & detruncata sunt, ut de ejus mente, vel quâ occasione, quibúsve rationibus nixus, ea scripserit, difficillimum est tanto temporis intervallo hariolari: quæ si integra jam extarent, in recto lumine collocari poterant, & ab *Arianis* interpretationibus vindicari. Exemplum dedimus hâc ipsâ in re, *Dissert. Th.* I. p. 70. Et multò quidem æquius est, *Eusebij* sententiam potiùs ex-

exintegris ipsius, quæ supersunt, scriptis, quam ex paucis fragmentis, mutilis, & imperfectis judicandam esse.

Tertiò, apparet luce clarius, re nondum satis perspectâ & examinatâ, *Arium* ejusque asseclas confutis technis & fallaciis *Eusebio*, aliisque aliquot istius temporis Episcopis mirè imposuisse, adeò ut benigniorem & favorabiliorem de eo ejusque dogmatibus opinionem tenerent. Constat id tum aliundè, tum ex eâ ipsa *Eusebij* ad *Alexandrum Alexandrinum* Epistolâ, ex quâ Eclogas suas proferunt Nicæni, *ibid.* p. 497. Ubi queritur *Eusebius*, *Alexandrum* perperàm *Arianos* criminari, quod hæc illáve docerent, cùm ipse *Alexander* penes se haberet illorum literas, quibus se contraria sentire & docere affirmârunt, atque ad literas suas provocârunt. Unde liquet, vel *Alexandrum* injustè hæc illis vitio vertisse, vel, quod longè verius est, *Arianos* aliud mente tenuisse, aliud publicè & per literas ad declinandam impietatis labem docuisse. Attentè hoc *Eusebij* fragmentum legat æquus lector, & num non ita sit, judicet.

judicet. In Historiâ Ecclesiasticâ hospes planè sit oportet, qui nesciat, quot fraudibus, in ventilandis & evulgandis dogmatibus suis, usi sunt *Arius*, ejusque discipuli, quanto artificio ea pro re natâ perpolirent, negarent, vel explicarent : hujusce rei exempla apud Historicos Ecclesiasticos obvia sunt. Vide quæ diximus *Diss.* p. 80, 87.

Quartò, quicquid *Eusebius*, nondum exortâ hæresi Arianâ, nondum explicatis vocabulis, nondum factâ Nicænæ Synodi definitione, de his incautiùs scripserit, (quod & aliis Patribus Ante-Nicænis contigit) certum est, ipsum longâ & accuratâ disquisitione factâ, mentem suam in Concilio Nicæno aperuisse, & decretis illius Synodi liquidò subscripsisse. Verùm dolosè id factum, inquiunt Nicæni nostri, qui hâc in parte Viro Erudito viam straverunt (*a*), τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ τῶν ἀληθειαν τετιμηκεν, ἡ δὲ

(a) *Vide supr.* p. 496.

καρδία αὐτοῦ πόρρω ἄπεσιν ἐξ αὐτῆς, *labiis suis veritatem honoravit, cor autem ejus longe abfuit ab eâ*; εἰ δ' ἄλλοτε ἄλλως κατὰ τοὺς καιρούς, ἢ κατὰ τὰ πράγματα συνεφύρετο ἢ μετεβάλλετο, *aliter atque aliter secundum tempus, & res sese immiscuit, & immutavit.* At nullum plane istiusmodi facti argumentum vel exemplum afferunt. Imò liquet clarissimè, *Eusebij* ad *Alexandrum* & *Euphrationem* literas, quibus nituntur boni Nicæni, ante Synodum Nicænam exaratas fuisse, cum *Alexander* paucis post Synodum mensibus diem obiit. Ut vel hinc saltèm constet, *Eusebium* Fidem in Concilio datam postea non violâsse. Non invitus quidem concedo, nusquam me legisse, *Eusebium*, etiam post Concilium Nicænum ὁμοούσιος vocabulum usurpâsse; minus fortassè erga vocabulum animatus erat, quod tot litium, & contentionum seges fuerat, rem vero ipsum approbasse nemo ferè temerè negabit. Tradit *Socrates* (*a*) se in istius tem-

(*a*) L. 1. c. 25. p. 58.

poris

poris Epistolis reperisse, vocem ὁμοούσιος, etiam post absolutam Synodum quorundam animos conturbâsse, magnasque inde altercationes inter Episcopos natas esse. Quod præcipuè *Eustathio Antiocheno*, & *Eusebio* nostro contigit. Etsi enim utrinque dicerent, ὑπόστασίν τε ἰδίαν ὑπάρχοντα τὸν υἱὸν εἶναι τοῦ Θεοῦ, ἕνα τε Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν ὁμολογοῦντες, *Filium Dei propriam personam atque existentiam habere, Deumque in tribus personis unum esse confiterentur*, tamen nescio quo pacto nullatenus inter se convenire potuerunt. Sed cùm *Eusebio* objiciret *Eustathius*, quasi Fidem Nicænam adulteraret, disertè respondit *Eusebius* se, τὴν μὲν ἐν Νικαίᾳ πίστιν ἀπαραλλάκτως, *à Fide Nicænâ nullatenus discedere*, vel, ut habet *Sozomenus* (a), τοῦτα μὲν ἐπαινεῖν, *ea se quidem approbare*. Confer quæ hac de re habet *Martinus Hanckius* (b), quo nemo librati

(a) L. 2. c. 18. p. 468. (b) De *Scrip. Byzant. in Eusebio*, § 114. p. 52, 53.

utrinque argumentis & testimoniis, accuratius de causâ hac *Eusebianâ* egit.

Sed objicit *Clericus* (a), me contemptim habere secundæ hujus Nicænæ Synodi judicium. Grave profectò crimen. Fateor quidem parùm apud me valet horum Nicænorum Auctoritas; fingunt, refingunt, & omnia, vera falsáve parùm refert, quæ ad promovendam εἰρηνολαλρείας causam, augendamque adversariorum infamiam, quoquam modo conferre possunt, undique corradunt. Ita me Deus amet! nihil vidi stultius, crassius, indoctius; adeo imbecillia, absurda, puerilia, ficta sæpissimè, & fabulosa sunt argumenta, decreta, allegationes, & exempla ab iis congesta. Legat, cui hæc tanti sunt, quæ de iis, eorumque decretis in libris *Carolinis* liberè dicunt Patres *Francofordienses*, quæque utramque ibi faciunt paginam:

(a) Ep. II. p. 53.

ubi

ubi inter alia (*a*), Conciliabulum Nicænum vocatur *Synodus incautæ & indiſcretæ procacitatis, in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus ſtolidè, ſive arrogantèr geſta; ſex Venerabilibus Synodis non annumeranda, impudentiſſimâ traditione nixa*; quod Patres *indoctè & inordinatè dicant, abſurdè* agunt, *importuna*, & *deliramento plena habent: O execrabilis error, O impudens dementia, O improvida vecordia! ridiculosè & puerilitèr dicta; inutilia, dementiâ prolata, & riſu digna*; quod *Apocryphas, & deriſione dignas nænias ſuis locutionibus interpoſuerint*; *fruſtra* denique *Synodum ſuam Univerſalem nominare, cum neque ab Univerſali Eccleſiâ fuerit congregata, neque Eccleſiæ Catholicæ Doctrina ac Traditio in eâ ſervata ſit, & conſtituta*: & ſexcenta hujuſmodi, quæ miſſa facio. Verùm de famoſo

(a) *Opus Carol.* l. 1. p. 91, 96, 97. *Vide* l. 1. c. 13. p. 150. c. 15, 25. l. 2. c. 16. p. 250. l. 3. c. 10, 19, 30. l. 4. c. ult.

hoc Conciliabulo in *Notitiâ Concil.* ad Ann. 787. satis superque dixi.

A Conciliis ad recentiores se confert Noster, & sub præsidio (*a*) cujusdam *Monachi* eruditi, in vitâ *Athanasij*, novissimæ ejus editioni præfixâ, *Eusebium* Arianum fuisse disertè affirmantis, *Clericus* se non uno tuetur loco. Quid præstiterit *Monachus* ille *Benedictinus*, nondum distinctè vidi: nec video cur majoris apud nostrum ponderis sit unius *Monachi* testimonium, quàm apud me sint tot clarissimorum, doctissimorumque virorum, *Camerarij*, *Molinæi*, *Chamieri*, *Calovij*, *Montacutij*, *Valesij*, *Bulli*, aliorumque plurimum judicia, qui pro *Eusebio* sententiam dixerunt. Et quidem parum hâc in parte audiendi sunt Scriptores Pontificij, jurati utpotè *Eusebij* hostes, causam non dissimulante *Baronio*, ut alibì non semel observavi. In summâ, fuerítne *Eusebius* Catholi-

(a) *Vide* Ep. II. p. 50, 52, 74.

cus,

cus, an *Arianus*, an à Catholicis ſolummodò paulò alienior, mihi hac in parte nec ſeritur, nec metitur. *Amicus Plato, amicus Ariſtoteles, ſed magis amica veritas.* Cauſam hanc quoniam vera mihi viſa eſt, defendendam ſuſcepi, neque me inſtituti mei adhuc pœnitet.

Abſolutis jam duobus primariis Accuſationis meæ capitibus, reſtant leviora quædam, hìc illîc diſperſa, brevitèr examinanda; unum ſaltem, alterúmve ſpeciminis cauſâ, neque enim digna ſunt, quæ Lectorem Eruditum vel unico horulæ momento remorentur. Piget quidem tricis diu inhærere, *& ſtultus labor eſt ineptiarum.* Et primò, vitio mihi (*a*) vertitur, calumniari me noſtrum, quaſi inter Arianiſmum & Photinianiſmum fluctuaret; ideò nempe, quia dixeram, me neſcire, *utrum cum noſtri temporis Arianis, vel potiùs Photinianis faceret*;

(*a*) Ep. I. p. 5. II. p. 68, 69. III. p. 84.

quaſi innuere vellem, ipſum *alterutris favere, ſed non ſatis conſtare utris.* Et hic quidem tantæ in me iracundiæ fons, & origo. Me miſerum, & infauſto ſidere natum! qui imprudens triſte tetigi bidental; ſacram nimirùm *Clerici* Fidem in dubium vocâſſe cenſeor. Grave crimen, & nullo ferè piaculo luendum. Quid verò? *Clericum* vel *Arianum*, vel *Photinianum* dixi nuſquam; affirmavi tantùm, mihi eſſe inexploratum, *utrum cum noſtri temporis Arianis, vel Photinianis faceret.* Quibus verbis nihil aliud innuere volui, quàm incertum mihi eſſe, cuinam eſſet parti addictus, in Religionis, quæ hodie agitantur, controverſiis: & ideo ſolùm *Arianos*, & *Photinianos* nominavi, quia ab amicis acceperam, ex iſtiuſmodi hominum grege fuiſſe, qui *Clerici* vitas tranſtulerant, & in lucem emiſerant. Ut hoc obiter notem, neſcio plane cur affirmet Vir Eruditus (*a*), *abſurde me feciſſe, quod*

(*a*) Ep. II. p. 70.

ex-

exploratum mihi esse negaverim, utrum ipse Arianis, an Photinianis faveret. Cum, inquit, *eorum dogmata sint ἀσύγκατα, & tam acriter inter se dissideant.* Quid inde? unquámne ego affirmaverim, *Photinianos* ab *Arianis* in aliquibus non dissentire, illúdve nescire potui? Talem consequentiam ex verbis meis unde exculpserit, non facile video. Hâc occasione sua ipsius (a) verba reponere licet. *Quid ergo in meis verbis carpere potuit, aut invenire, quo mihi odium crearet? Profectò nihil inveniisset, nisi carpendi libidine, præter modum, exarsisset.* Etiamsi verò ipsum adeo modestè tractaverim, non desunt nihilominus alij, qui ἄνευ προφάσεως, Socinianismi dicam ei ascribere non verentur. In his sunt *Joannes Vander Wayen* celeberrimus in *Batavis* Theologus, & *Vindex* apud nos *Hammondianus*. Fatendum est, *Clericum* nostrum molestissimè ferrè, Hæreticis accenseri, magnâque contentione ubi-

(a) Ep. VI. p. 196.

que

que agere, ut Socinianiſmi crimen à ſe amoliatur. At niſi fumum nobis vendere velit, facile eſt ei hunc ſcrupulum hominum animis eximere. Profiteatur modò, miſſis ambagibus, verborumque involucris, ſe cum Eccleſiâ Catholicâ agnoſcere, Deum eſſe eſſentiâ unum, Perſonis trinum, nempe, Unitatem in Trinitate, & Trinitatem in Unitate, ſe colere ac venerari; credere ſe, Ieſum Criſtum verum eſſe, & æternum Dei Filium, Patri verè ὁμοούσιον, & συναΐδιον, qui aſſumptâ naturâ noſtrâ ſe piaculare Sacrificium pro peccatis humani generis, Deo Patri in cruce obtulit; Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque æternùm procedere, συμφυὲς καὶ συνθρονον, καὶ ὁμόδοξον, καὶ ὁμότιμον, ut *Gregorij* Theologi (*a*) verba ſunt, *ejuſdem omninò naturæ, dignitatis, honoris, & gloriæ:* tunc demùm intelligemus fidem ejus in principibus his Doctrinæ Chriſtianæ capitibus rectam

(*a*) Orat. XXVI. p. 445.

eſſe,

esse, orthodoxam, & tam Sacræ Scripturæ, quam primævæ Antiquitati congruam. Id si recusaverit, quamvis milliès se Catholicum venditârit, næ ille nimiam suspicandi causam aliis præbebit. Fidem quidem suam sæpè negativè nobis exhibet; ait (*a*), se nec *cum Arianis*, *nec Photinianis*, *nec Socinianis* facere; *Arianorum se non probare sententiam*, *nec eam rationem*, *quâ Photiniani Scripturæ loca de Christi divinitate interpretantur*; se *Socinum* (b) *quasi ducem non sequi*, *integra ejus opera se non legisse*, *neque peculiaria hominis dogmata*, *quæ sibi innotuerunt*, *magis probare*, *quam aliorum*, *quos putat in errore versari*. Quid verò credit, sub pollice premit, nosque incertos dimittit. Ne igitur ampliùs audiat *Joannes in nubibus*, optare licet, ut Fidei suæ formulam clarè & distinctè explicet, ut deinceps de Fide ejus nec dubitemus, nec alitèr, quam oportet, sentiamus.

(*a*) Ep. II. p. 70. (*b*) *Ep. de Hamm.* p. 336, 340.

In

In præfatione Partis II. *Hiſtoriæ Literariæ* dixeram, optandum eſſe, ut Vir Eruditus à tam liberis, & iniquis cenſuris, quales potiſſimùm *Bibliothecæ Univerſalis* Tomo X. reperiuntur, magis temperâſſet; eâque occaſione in memoriam ei revocaveram gravem celeberrimi *Meibomij* admonitionem, de rebus, quæ hoc *Tomo* X. continentur. Ad hæc quid Noſter (*a*)? ait, hallucinatum eſſe *Meibomium*, & Bibliothecæ Univerſalis *Tomum* X. pro *undecimo* citâſſe. Verùm quid hoc ad me? qui *Tomum* prout in *Meibomij* libello reperitur, allegavi. Puerilia quidem hæc ſunt; & ad incitas redactus ſit oportet, cui ad talia confugere neceſſe eſt. Cum verò hanc querelam denuò in *Parrhaſianis* (*b*) ſuis renovari videam, miror quid ſibi velit Vir Eruditus, dum me hanc ob rem accuſare pergit, qui *admonitionis Meibomianæ*, idque in genere tantùm,

(*a*) Ep. III. p. 87. (*b*) C. 10. p. 271, 272. Ed. Angl.

men-

mentionem fecerim, nec utrum Tomo *Decimo*, *Undecimóve* contineretur, quémve auctorem Tomus iſte undecimus habuerit, vel fando inaudiveram. Vivit adhuc, diúque reipublicæ literariæ bono vivat Celeberrimus *Meibomius*, qui nùm juſtas ſatis Admonitionis ſuæ cauſas habuerit, ſi tanti res erit, D. *Clerico* poſſit exponere, factique ſui rationem reddere. Quid de me dixit, ſcripſitve Cl. *Witſius* (a) juxta cum ignariſſimis ignoro. Neque multum laboro. Cum certus ſim, nihil me *de Juſtificatione* dixiſſe, vel ſcripſiſſe unquam, quod, Doctrinæ *Apoſtolicæ*, ut & *Anglicanæ*, non ſit apprimè conſonum. Quàm vel a leviſſimâ Socianiſmi umbrâ ſemper abfugerim, nôrunt, qui me familiaritèr utuntur; totaque muneris mei Eccleſiaſtici, jam à quadraginta annis, ratio, tot conciones etiam adverſus hos Chriſtianæ Religiones hoſtes à me habitæ, tot edita ſcripta liquidò teſtantur.

(a) Ep. III. p. 89.

Sed

Sed jam en festivi ingenij, candoris, & ingenuitatis Specimen! Ridet (*a*) enim me quasi existimâssem ‘ illum Historiæ Ecclesiasticæ plane ‘ esse imperitum; famam esse à no‘ stratibus nonnullis vulgò sperni scri‘ pta fere omnia hominum cis mare ‘ viventium; contrarium igitur se de‘ monstraturum, *ut sciat Caveus*, esse ‘ homines etiam cis mare, quibus non ‘ tam facile, quam fortè credit, fucus ‘ fieri possit. *Quod si Anglis quoque*, inquit, *os oblinere se speraret, erit hoc nobis solatio, quod Windesorienſi Canonico nos incolæ Continentis stipites soli esse non videamur.* Sed ludicra hæc sunt, & puerilia, Viro gravi penitùs indigna. Quo cultu, quantâ observantiâ, quàm singulari existimatione Exteros Eruditos semper exceperim, nôrunt Angli, nôrunt & Exteri, quotquot familiariter notus sum; imò quicquid aliàs dissimulare soleo, nolo

(*a*) Ep. 2. p. 34, 35, 77.

dissi-

diſſimulare, me etiam Adverſarij mei ingenium & eruditionem exoſculari; optare ſolummodò, ut dotibus, quas largâ ſatis manu ei contulit ὁ ὅτι πᾶσι, ad Dei gloriam, & Eccleſiæ ædificationem magis magiſque indies utatur. (a) Ἔστι τοι γενναίᾳ μὲν φιλοσόφῳ ψυχῇς, μηδὲ πολεμίων ἀρετὴν ἀτιμάζειν. *Generoſi eſt, & ſapientis animi, ne hoſtium quidem virtutem contemnere.*

Egregiam erga florentiſſimam Eccleſiam Anglicanam, ejuſque illuſtriſſimos Præſules, *qui nullo*, inquit (b), *fuco, nec ullis malis artibus indigent, ut dignitatem ſuam tueantur*, obſervantiam ubique præ ſe fert. Jactitat (c) ſententiam ſuam eſſe *pro forma Regiminis Epiſcopalis, eamque ſe pluris facere, quàm Presbyterialem*, eâ tamen lege, *ſi modò intra limites Evangelicos contineatur.* Quo quid ſibi velit, haud difficile eſt intelligere. Probat Epiſcopatum, ſed omnibus nudatum hono-

(a) *Nazianz. invect. II. in Jul.* p. 77. (b) Ep. I. p. 3. III p. 113. Ep. VI p. 214. (c) Ep. VI. p. 187.

ribus,

ribus, reditibus, poſſeſſionibus, immunitatibus, juribus & privilegiis temporalibus, quibus Regum, Principumque Pietas & Benignitas Epiſcopos ornavit. Quibus ſublatis, non jam *Illuſtriſſimi Præſules* ampliùs audient, nec tam avidè ab Exteris captanda erit eorum gratia. Quantumcunque verò honoris Præſulibus Anglis ſe deferre profiteatur, dubitare tamen licet, qualem erga Eccleſiæ Anglicanæ Preſbyteros gerat animum, præſertim erga *Canonicum Windeſorienſem*, uti plus quam ſemèl iterúmque me contemptím vocat. Pergit Noſter (a), *nemo fortaſſe eſt cis mare*, inquit, *qui pluris faciat Eruditionem Cleri Anglicani, aliorumque ejuſdem gentis doctorum Virorum, quam ego; quique eam frequentiùs & ore, & ſcriptis prædicet, non profectò adulandi ſtudio; nam quæ commoda hinc ad me, qui in Hollandia ſedem dudum fixi, redeunt, aut redire poſſunt.* Abſit! ſed cave credas, mi

(a) *Ep. de Hammond. & Critic.* p. 323.

Lector,

Lector, adeò eum Hollandis suis addictum esse, quin oblatis honestis conditionibus, etiam in hâc insulâ Britanicâ lares figere velit. Et certè, nisi malè de eo mentiatur fama, non uno erga infulatos Ecclesiæ Anglicanæ Proceres obsequio, hanc ipsam, quam in me ridet, dignitatem, parem saltem, ambiviſſe dicitur. Quod etsi pro certo affirmare nolo, non est tamen è trivio petitum. Quod si hoc ei fœlicitèr succeſſiſſet, tunc

——hâc Pergama dextrâ
Defendi possent, & nunc defensa fuissent.

Sed gratias habemus Deo immortales, quod tali Defensore non eget Ecclesia nostra. Habet in sinu suo filios genuinos, qui Matris suæ causam, Fideique Catholicæ puritatem adversus omnes καινοδοξίας, etiam acutissima Arianizantium capita defendere & possint & velint.

Plura sunt in his *Clerici* Epistolis animadversione digna, quæque am-

plum ſatis diſputandi campum aperirent, ſi quis contendendi ſtudio duceretur. Verùm alia mihi mens, aliud conſilium. Ætas jam grandior, & in ſenium provecta, ærumnoſa deploratæ meæ valetudinis ratio, hebeſcens indies oculorum acies, & graviſſimi, quibus undique premor, Calculi dolores, ut à ſtudiis etiam ſuaviſſimis, multò magis ab ingratis & inutilibus hujuſmodi controverſiis in poſterum abſtinerem, omninò jubent; monentque, ut de ſarcinis recolligendis, & in tranquilliorem tutioremque portum tranſvehendis ſeriò cogitarem. Faxit Deus optimus maximus, ut in gloriam ſuam, in Eccleſiæ pacem, in Spiritus unitatem, in Veritatis defenſionem, in mutuam concordiam & caritatem omnes uno ore animóque conſpiremus. Quod ſi in nonnullis levioris momenti à nobis invicèm diſcedamus, ſaltem in gravioribus & primariis Fidei articulis idem omnes ſentiamus. (*a*) Οὐδὲν

(*a*) *Nazian. de pace*, Or. XII. p. 197.

γὲ ὅτως ἰσχυρὸν εἰς ὁμόνοιαν τοῖς γνησίοις τὰ περὶ τὸν Θεὸν, ὡς ἡ περὶ Θεὸν συμφωνία. *Nihil enim eos, qui sincero animi affectu Deum colunt, æque inter se conciliat, atque consentiens de Deo doctrina.* Quin si meum consilium non dedignaretur Vir Eruditus, quocum mihi res est, suaderem, ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, (a) μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, ut *altum non sapere, sed humilibus obsecundet*; ut *fraterna caritate*, eâque *minime simulatâ, ad alios amandos sit propensus, & honore aliis præeat*, ut *nemini malum pro malo vicissim reddat, sed honesta in omnium conspectu procuret*, ut *si fieri potest, quantum in se est, cum omnibus hominibus in pace vivat*; ut consilia, studiaque sua, ad Ecclesiæ ædificationem, & doctrinæ Evangelicæ confirmationem dirigeret, sacras literas verecundè, & reverenter tractaret, profanas vocum novitates devitaret, probata Fidei Catholicæ

(a) Rom. XII. 3, 10, 16, 17, 18.

dogmata arctè complecteretur, nec receptas loquendi formulas sine summâ ratione innovaret; ut caveret denique, ne dum salibus, dicteriis, scriptisque contentiosis sibi adversantes excipit, fratrumque suorum famam, nomenque proscindit, hominibus Atheis, ἐμπαίκταις, perditis, bipedumque nequissimis, sacra Religionis mysteria irridenda proponat. In his se totum exerceat, in hæc omnes intendat nervos, memor gravissimæ rationis, pro summo tribunali olim reddendæ.

Ad vos tandem, Reverendissimi Patres, memet converto, enixè obsecrans, ut me perorantem clementèr & benignè audiatis. In sublimi vos posuit Altissimus, ut in omnem angulum diligenter circumspiciatis, ut Gregem, quem vobis concredidit ὁ Ἀρχιποίμην, curetis, foveatis, conservetis; ut Religionem Fidemque in hac Ecclesiâ professam strenuè tueamini. Laboranti succurrite veritati, *pro Fide Sanctis semel traditâ, decertate*; lupos, etsi

etsi ovinis pellibus tectos, ab ovili Dominico longè propellite; pestiferis, & pernicioſiſſimis dogmatibus, γυμνῇ κεφαλῇ ubique graſſantibus, quæque in ipſa Chriſtianæ Doctrinæ impingunt fundamenta; forti invictóque animo obſiſtite; Atheiſmi non jam ſerpentis, ſed penè triumphantis virus, quantum in vobis eſt, purgate, & extinguite: *vigilate, perſtate in Fide, viriliter agite*; ut ità in hoc ſæculo ab hominibus laudem, à vobis ipſis muneris benè acti conſcientiam; in futuro, à Paſtorum principe *immarceſſibilem gloriæ coronam* reportetis. Paucis agam; ut Sacerdotij honorem ſartum tectum conſervemus, ex Apoſtoli concilio duo præcipuè agenda ſunt: *intenti ſimus tum nobis ipſis* (a), hoc eſt moribus noſtris, *tum Doctrinæ*; in vitâ, *noſmet bonorum operum exempla præbentes* (b), in Doctrinâ, *integritatem, gravitatem, ſanum ſermonem exhibentes*. Claudam omnia piiſſimo

(a) 1 Tim. 4. 16. (b) Tit. 2, 7.

Gregorij

Gregorij Theologi (*a*) voto, ubi de confessione SS. Trinitatis agens, hortatur, ut ad statum illum Cœlestem constantèr contendamus, ut ità tandèm in Domini nostri gaudium intremus, καὶ τῷ φωτὶ τῆς μακαρίας καὶ ἀρχικῆς τρίαδος εὖ οἶδ' ὅτι ἐλλαμφθησόμεθα τρανότερόν τε καὶ καθαρώτερον, εἰς ἣν πεπιστεύκαμεν, καὶ ᾗ λατρεύομεν, καὶ ἣν ὁμολογοῦμεν ἔμπροσθεν Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων· μηδὲν δεδοικότες, μηδὲν αἰχυνόμενοι, μὴ τοὺς ἔξωθεν ἐχθροὺς, μὴ τοὺς ἐν ἡμῖν αὐτοῖς ψευδοχρίστους, καὶ πολεμίους τοῦ πνεύματος· καὶ ὁμολογοίημεν μέχρι τῆς ἐσχάτης ἀναπνοῆς ἐν πολλῇ παῤῥησίᾳ, τὴν καλὴν παρακαταθήκην τῶν ἁγίων πατέρων, τῶν ἐγγυτέρω Χριστοῦ, καὶ τῆς πρώτης πίστεως, τὴν συύτροφον ἡμῖν ἐκ παίδων ὁμολογίαν, ἣν πρώτην ἐφθεγξάμεθα, καὶ ᾗ τελευταῖον συναπέλθοιμεν· τοῦτο, εἰ μή τι ἄλλο, ἐντεῦθεν ἀποφερόμενοι, τὴν εὐσέβειαν. *Atque clariùs & pluriùs beatæ ac principis Trinitatis lumine collustremur, in quam credimus, quam colimus, & coram Deo atque*

(*a*) Orat. VI. p. 140, 141.

hominibus

hominibus confitemur; *nihil timentes, neminem verentes, non externos hostes, non eos, qui inter nos agunt, falsos Christianos, sanctique Spiritus hostes*; *atque utinam ad extremum usque vitæ spiritum cum magnâ libertate confiteamur, præclarum, inquam, illud Sanctorum Patrum, qui Christo, nascentique Fidei propinquiores extiterunt, Depositum, Confessionem illam, quam simul cum lacte imbibimus, quam primam prolocuti sumus, & quacum utinam postremò ex hac vitâ migremus*; *si nihil aliud, hinc certe Pietatem nobiscum efferentes.* Amen, Amen.

E Colled. Windesor. VI. Kal. April. MDCC.

PP. VV. filius cultorq;

obsequentissimus

WILHELMUS CAVE.